270.04
Sm32

ANONYMI LIBELLUS

DE VITIS ET MIRACULIS

PATRUM EMERITENSIUM

PAULO DIACONO EMERITENSI VULGO INSCRIPTUS.

—

E CODICE ACADEMIÆ REGIÆ RERUM HISTORICARUM HISPANICÆ

EDIDIT,

COMMENTARIO PRÆVIO ET NOTIS INSTRUXIT

C. DE SMEDT, S. J.

HAGIOGRAPHUS BOLLANDIANUS.



BRUXELLIS

TYPIS POLLEUNIS, CEUTERICK & LEFÉBURE.

—

1884

50692

Libellum hunc cum commentario prævio vulgatum inter Acta Sanctorum, *ad diem 1 novembris, ubi agendum erat de* S. Masona *episcopo Emeritensi, in gratiam eruditorum minori forma seorsim edere visum est. Documenti textum, quod in commentario monuimus, debemus Reverendo Patri Julio Tailhan, S. J. Sed et gratias maximas referendas habemus Reverendo Patri Fideli Fita, qui dum illum textum typis mandare eramus aggressi, Matriti schedas diligentissime inspexit et cum ipso codice contulit. His præsidiis munitam editionem nostram viris doctis acceptam fore confidimus.*

DE SANCTO MASONA

EPISCOPO EMERITENSI IN HISPANIA

ET DE SS. PAULO ET FIDELI EJUS DECESSORIBUS

ATQUE INNOCENTIO ET RENOVATO SUCCESSORIBUS

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. De cultu SS. Masonæ, Pauli, etc., et de editionibus libelli anonymi de eorumdem vitis.

S. Masona *in nullo veteri martyrologio laudatus,*

Diu, fateor, multumque hæsi num hoc loco Acta S. Masonæ *(alias* Mausonæ, *etc.)* (1) *tradenda essent an relegandum ejus nomen inter prætermissos. Neque enim sive in Martyrologio Romano sive in quolibet veterum martyrologiorum ulla ejus occurrit mentio, nec aliam cur eum hac die laudavit rationem affert in Martyrologio Hispanico famosus ille apocryphorum venditor Joannes Tamayus de Salazar nisi quod die kalendarum novembrium obiisse* Masona *legitur in Chronico M. Maximi, supposititio scilicet et nullius apud eruditos auctoritatis. Accedit quod quum diligenter a doctis viris, quibus amicis in Hispania utimur, de cultu* S. Masonæ *inquisiverimus et per eos etiam maxime spectabiles et suarum traditionum bene gnari Emeritenses sacerdotes de hac re interrogati fuerint, ex eorum responsis omnino jam certiores facti sumus non solum nostris diebus nullo ecclesiastico cultu honorari* Masonam, *sed nec ullum hujusmodi cultus exstare vestigium vel memoriam.*

(1) Cfr. infra Annot. *a.* ad cap. IX.

mox tamen post suum obitum cum utroque prædecessore et successore devotione populari celebratus,

2. *Nihilominus tamen ex Actis coævis, quæ inferius edituri sumus, satis manifeste patet paulo post mortem* S. Masonæ *celebrem fuisse Emeritæ ejus cultum. Leguntur hæc Acta in libro mox citando* De vitis sanctorum Patrum Emeritensium; *ubi post narratam historiam episcoporum Emeritensium qui sibi ex ordine in hac sede successerunt seculo sexto et ineunte septimo, inter quos tertius est* Masona, *suam narrationem concludit scriptor his verbis :* Horum igitur supradictorum sanctorum corpora in una eademque cellula haud procul ab altario sanctissimæ virginis Eulaliæ honorifice tumulata quiescunt. Ad quorum denique veneranda sepulcra tantam Christus quotidie copiosæ pietatis confert gratiam ut quacumque fuerit quispiam ægritudine convexatus, quocumque etiam fuerit languore afflictus, statim ut divinum numen illic toto corde depoposcerit, omnes a se morbos discussos omnesque maculas pulsas divinitus sentiens, sanus hilarisque ad cupitam per Dei gratiam pervenit sanitatem (1). *En habes concursum populi ad sepulcrum et famam miraculorum, quod utrumque validum ecclesiastici cultus indicium esse videtur, ubi de antiquis temporibus agitur.*

simul cum S. Damaso colebatur olim

3. *Quum itaque ex traditione majorum non prætermittendi sint in Actis nostris sancti qui antiquitus publico cultu in aliqua ecclesia gavisi sunt, etsi is cultus usque ad dies nostros non perseveraverit, jam apparet ratio cur nec* S. Masona *et uterque ejus decessor, cum utroque item successore, a nobis prætermittantur. Ceterum et his sanctis facile accidere potuit quod et aliis quibusdam qui primis medii ævi seculis in Hispania floruerunt, quorum scilicet*

(1) *De Vit. PP. Emerit.*, n. 51.

cultus, everso a Mauris in ea regione imperio Wisigothico, ita obliteratus fuit ut omnino exciderit e memoria hominum. Hujus generis citari possunt sancti Cordubenses Alvarus et Sperandeus, quorum nomina jam constat olim calendario ecclesiastico inserta fuisse, prioris quidem die 7 novembris, alterius vero die 7 maii (1), *postea vero exciderunt ita ut nulla eorum cultus superesset memoria. Neque, quod ad* Masonam *spectat, ad solas conjecturas rejicimur. Etenim, quod jam monuit Franciscus Perezius Bayerius* (2), *in codice bibliothecæ Escurialensis Matriti, qui exaratus est sub fine seculi XII vel exordio sequentis, servatur vetustum breviarium ubi indicatur* S. Masonæ *festum celebrari simul cum Damasi, et utrique communis traditur oratio. Rem denuo accurate recognovit, nobis rogantibus, doctissimus Aurelianus Fernandez Guerra, docuitque nos omnia quæ in Bayeri adnotatione leguntur rerum veritati consonare (nisi quod levi errore nota codicis indicatur* Plut. III, litt. L, n. 4, *ubi scribendum erat* III. L. 3). *In eo codice igitur, post festa S. Leocadiæ (d. 9 decembris) et S. Eulaliæ (d. 10 decembris) ac S. Pauli martyris annuntiatur* Sanctorum Damaso *(sic)* et Masone, *ac subjicitur hæc oratio:* Misericordiam tuam, Domine, nobis, quæsumus, intervenientibus sanctis confessoribus atque pontificibus tuis Damaso et Masona clementer impende, et nobis peccatoribus ipsorum propiciare suffragiis.

(1) Simonet, *Santoral hispano-mozarabe sacado del calendario astronomico que dió a luz en 961 Recemundo obispo de Iliberis,* in periodico Matritensi *La Ciudad de Dios,* tom. V, 1871, pp. 198, 207. Cfr. Nicolaus Antonius, *Bibl. Hisp. Vet.*, tom. I, pp. 475. 467. — (2) *Bibl. Hisp.*, tom. cit., p. 351, not. 1.

die 11 *decembris.*

4. *Quidni igitur, inquies, ad diem 11 decembris Acta* S. Masonæ *remittis ? Fateor ex citato documento jam certum argumentum præberi ut sancto nostro dies ille attribuatur. Attamen, quum præter Joannem Tamayum eidem diem 1 novembris assignet Castellanus in suo Martyrologio Universali (nulla utique alia, ut videtur, nisi ejusdem Tamayi auctoritate nixus), contra vero præterquam in breviario illo ms. nusquam notetur ad diem 11 decembris ; facilem, credo, excusationem apud eruditos habebimus si tractationem nostram de* S. Masona *ejusque prædecessoribus et successoribus non ad immensum illud temporis intervallum rejecerimus, eo magis quod hac occasione diu sane desideratam editionem accuratiorem proferre licebit documenti illius quod merito inter præcipuos fontes historiæ Hispaniæ ecclesiasticæ in maximo pretio habetur, librum dico* De vitis et meritis sanctorum Patrum Emeritensium, *de quo jam distinctius agendum.*

Librum de Vitis PP. Emeritensium primum ediderunt Barn Moreno et Th. Tamayus,

5. *Librum hunc primus vulgavit Barnabas Moreno de Vargas, Emeritensis urbis decurio (qui ejusdem urbis quoque historiam conscripsit), Matriti anno 1633, ex codice quem Emeritensi civitati donaverat Dux Complutensis Ferdinandus Henriquez de Ribera* (1): *qui codex quam antiquus fuerit ignoramus ; editio autem ipsa innumeris scatet mendis. Deinde secundo, sed Moreni editionis inscius, Thomas Tamayus de Vargas Antverpiæ, apud Joannem Meursium, anno 1638, ex codicibus octo, quos his verbis recenset :* 1. Ex ecclesiæ Toletanæ bibliotheca litteris gothicis exaratum. 2. Gothicum ex bibl. regia Hieronymiana apud Scoriacum. Existimo olim fuisse ex Carazedano S. Va-

(1) Ibid., p. 373 ; Florez, *Esp. Sagr.*, tom. XIII, p. 331, n. 32.

lerii monasterio. Plura hic sunt Pauli *(hoc nomine scilicet auctorem opusculi designare solent)* (1) exemplaria latinis litteris exscripta, quæ non otii nostri fuit illa omnia conferre. 3. Ex bibl. illustr. D. Joannis Bertrami a Guevara archiep. Compostellani... Latinis litteris transcriptum a viro docto ut apparebat, ipso in limine indicabatur. 4. Etiam latinis litteris scriptum ex bibl. viri nobilis D. Joan. de Fonseca et Figueroa...; in seren. Ferdinandi Hisp. Infantis, cardinalis Toletani, bibliothecam postea translatum. Quod quidem ex Bertramiano, cum iisdem mendis scateret, transcriptum crediderim. 5. Etiam latinum, ab Alvaro Gomecio a Castro Eulaliensi viro cl. Franciscus Pisa Toletanus Th. D... habuit. 6. Latinum, Antonii Covarruviæ, regii consiliarii,... omnium emendatissimum. 7. Gothicum, manu illust. Garsiæ Loaisa archiep. Toletani in aliquot locis interpolatum. 8. Gothicum aliud, quo usus fuit magnum Hispaniæ decus, Joan. Mariana S. J.... Habent hodie illius socii, apud quos Toleti tumulatus. *Horum codicum ætatem nullo nobis indicio Tamayus prodidit neque ullas singulorum varietates distinxit, quamquam ipsum textum ex iis codicibus concinnatum perpetua annotatione illustrare conatus est. Editionem Thomæ Tamayi assumpsit cardinalis de Aguirre in tomo II Conciliorum Hispaniæ, Joannes Tamayus in suo Martyrologio Hispanico ad diem 1 novembris (aliqua tamen ex apocryphis in annotationibus Thomæ citata adjungens quasi ipsius libri pars essent), ac demum nostris diebus Migne in sua Patrologia Latina* (2). *Ex eadem editione majores nostri excerpserunt Acta S. Nuncti*

(1) Cfr. infra, num. 9. — (2) Tom. LXXX, p. 113 sqq.

(22oct.), S. Fidelis (7 febr.) et S. Renovati (9 mart.).

tertio Franciscus Bivarius,

6. *Tertiam editionem instituit anno 1651, et ipse utriusque præcedentis editionis plane ignarus, Franciscus Bivarius ex codice sui monasterii Nucalensis, quem antiquitate amplius quadringentorum annorum ac proinde seculo XIII exaratum existimabat. Desiderabatur autem in eo codice et inde desideratur in editione Bivariana prior opusculi pars, quæ in aliis editionibus cum præfatione sua præfigitur historiæ quinque episcoporum Emeritensium. Porro advertendum est distinctionem et titulos capitum apud Morenum et Tamayum non quidem ab editoribus suppleta esse, attamen non reperiri in vetustioribus codicibus. Quod distincte indicavit Thomas Tamayus in annotatione ad totius libelli præfationem, subjungens in duobus eorum quæ habuit exemplaribus recenti manu exaratis hæc adjecta esse initio :* In Pauli Emeritensis lib. de Vita et miraculis PP. Emer. index capitum. Nos enim partiti sumus in capita distinctionis causa.

quarto Henricus Florez.

7. *Quartam denique editionem debemus Henrico Florez* (1), *qui tamen illam non ex mss. codicibus, sed ex tribus prioribus editionibus invicem collatis adornavit, ita ut quæ sibi videbantur præstantiores lectiones textui insereret, varietates tamen in annotationibus ad singulas paginas subjectis indicaret. Nonnulla prætereа emendare potuit ex aliquo codice bibliothecæ regiæ Matritensis, qui quidem nihil aliud continebat præter præfationem et narrationem primi miraculi ac proinde nonnisi exiguam totius opusculi partem* (2).

(1) *Esp. Sagr.*, tom. XIII, p. 335 sqq. — (2) Cfr. ibid., p. 333-334, n. 40.

Nostra ejusdem opusculi editio.

8. *Nulla itaque pretiosi libelli editio hactenus prodiit ex aliquo certo codice notæ antiquitatis, neque nostris diebus doctissimus scriptor R. P. Pius Gams, O. S. B., in Hispania diligenter codices quibus contineretur inquirens, alios reperit præter recentioris ævi apographa quinque vel sex* (1). *Illam lacunam nobis supplere jam licet, postquam accepimus descriptionem accuratissimam codicis olim cœnobii S. Æmiliani, nunc in bibliotheca Academiæ regiæ rerum historicarum Matriti repositi sub numero F. 177, charactere Wisigothico exarati seculo decimo. Egregii hujus exemplaris apographum diligentissime a se exscriptum nobis transmisit vir in rerum Hispanicarum studio versatissimus nostrique amicissimus et de nostro operè non semel optime meritus, R. P. Julius Tailhan, e Societate Jesu, cujus proinde nomen huic editioni inscribere æquitas omnino postulat. In qua adornanda quas regulas secuti simus, exponemus infra* (2). *Totum opusculum in duas partes ipse scriptor distribuisse videri potest, non quidem titulos, sed singulis partibus singulas præfationes præponendo* (3). *Quarum partium posterior quidem sola Vitas sanctorum pontificum continet, prior autem quædam prodigia intercessione, ut censet auctor, sanctæ Eulaliæ impetrata. Hanc tamen ipsam prætermittendam non duximus, tum ne scriptio minus integra exhiberetur, tum præcipue quod nonnulla continet quæ ad quæstiones de persona auctoris ejusque ætate et alias quasdam solvendas maxime juvant.*

(1) *Kirchengeschichte von Spanien*, tom. II, part. II, p. 115. — (2) Annot. in capite libelli. — (3) Cfr. infra, num. 12.

§ II. De scriptore libelli de vitis PP. Emeritensium.

Scriptoris nomen incertum; Romano-Hispanus fuit et clericus ecclesiæ S. Eulaliæ.

Jam quod ad libelli auctorem spectat, hunc Pauli diaconi Emeritensis *nomine unanimi consensu insigniunt editores omnes supra indicati. Quod ex quibusnam codicibus hauserint (aliud autem argumentum proferunt nullum) non indicarunt. Certe nomen illud in codice S. Æmiliani non legitur, neque etiam in epistola Alphonsi III regis Legionensis (866-910) ad clerum et populum Turonensem, ubi:* Nos quoque, *ait,* multorum virorum illustrium vitam, virtutem et mirabilia, utpote Emeritensium, evidenter ac sapienter conscripta habemus (1): *nec proinde nobis visum est libello inscribendum. Scriptorem nostrum ortu fuisse Romano-Hispanum conjicere licet ex exordio Vitæ Masonæ* (2), *ubi non sine aliqua specie contemptus dicitur sanctus episcopus fuisse* genere QUIDEM Gothus, SED mente promptissima erga Dominum perquam devotus. *Certius est eum fuisse clericum Emeritanæ basilicæ S. Eulaliæ: nam et* Levitam *se ipse nominat* (3), *et* (4) *S. Eulaliam* Dominam *suam appellat, ac præterea perspicue significat* (5) *se in eadem domo commorari cum puero illo Augusto de quo in primo miraculo agitur,* in domo *scilicet seu claustro* egregiæ virginis Eulaliæ (6) *et ibidem, id est in ecclesia adjacente, divinis officiis vacare* (7). Levitæ *autem nomine diaconum intelligi satis probabile est, non tamen plane indubium. Quod vero censet Moreno, auctorem nostrum fuisse*

(1) *Bibl. Cluniac.*, Andr. Quercetani not., p. 51. — (2) Num. 22 init. — (3) Num. 4 init. — (4) Ibid. extr. — (5) Numm. 1, 4. — (6) Num. 1 init. — (7) Ibid.

archidiaconum *basilicæ S. Eulaliæ, id collegit tantum ex his verbis :* Quamobrem ego indignus et omnium peccatorum primus levita Christi (1), *illam vocem scilicet* primus *non cum præcedente* peccatorum, *sed cum sequente* levita *conjungens, adeo ut secundum hanc interpretationem, auctor se non* peccatorum primum, *sed* primum levitam *seu archidiaconum ecclesiæ S. Eulaliæ professus esset. Verum, ut recte advertit Florez* (2), *ipse huic suæ opinioni contradixit Moreno in editione sua, comma post* primus *et ante* levita, *non autem post* peccatorum *inserendo, quod recte ab eo factum satis liquet. Neque immorandum censeo in refutanda opinione Mabillonii existimantis ecclesiam S. Eulaliæ fuisse monasterium et scriptorem nostrum monachum Benedictinum : id enim satis præstitit collega noster recens ad superos vocatus, Benjaminus Bossue* (3). *Sed prætermittere non possum conjecturam quam mihi suggessit, si bene memini, laudatus P. Julius Tailhan, scriptori nostro ideo* Pauli *nomen attributum fuisse a nonnullo recentiore quod et in præfatione totius libelli eum Gregorii M. laudatorem cerneret, et levitam, id est, ut interpretabatur,* diaconum *legeret, aliunde vero notus est aliquis* Paulus diaconus *Vitæ Gregorii M. scriptor* (4).

Quod de ætate ejus opinati sunt Th. Tamayus et Florezius, non videtur

10. *Sicut nomen, ita et ætatem suam distincte non indicavit auctor. Thomas Tamayus tamen* (5) *et Henricus Florez* (6) *eum scripsisse putant Emeritensi cathedræ præsidente Stephano I, id est ante annum 638* (7), *hoc solo argumento ducti quod ulti-*

(1) Num. 4 init. — (2) *Esp. Sagr.*, tom. XIII, p. 326, n. 20. — (3) Comment. de S. Nuncto, num. 5-7 (*Act. SS.*, tom. IX Oct., p. 597). — (4) P. L., tom. LXXV, p. 41. — (5) P. L., tom. LXXX, p. 163, not. *a*. — (6) *Esp. Sagr.*, tom. cit., p. 213, n. 158. — (7) Ibid., p. 214, n. 160 et p. 330, n. 29.

satis demonstratum

mus in libello nostro episcoporum Emeritensium nominatur Renovatus, Stephani I decessor : quod tamen argumentum satis mihi videtur refellisse Nicolaus Antonius (1), *dum observat propositum fuisse auctori, non omnium episcoporum Emeritensium describere vitas, sed eorum solummodo qui miraculis claruerunt, quem scopum in præfatione utraque, ad priorem et ad alteram partem, non obscure significat. Ex altera vero parte cum Florezio sentire cogor contradicente* (2) *ipsi Antonio, dum is* (3) *sequiorem forte multo ætatem indigitari putat ubi auctor, loquens de iis quæ Leovigildo rege gesta sunt, hæc* ante multa jam curricula annorum *contigisse refert* (4). *Nam* multis *illis* curriculis annorum *amplius quinquaginta annorum spatium intelligi non oportere, ex aliis ejusdem opusculi locis satis constat. Etenim et Paulum episcopum Emeritensem, quem* natione Græcum, arte medicum, de Orientis partibus in Emeritensem urbem, *bene adultum utique,* advenisse *scribit auctor, et* multo tempore *ibidem sanctitate emicuisse ante episcopatum suum* (5) ; *deinde eumdem Paulum* plurimos per annos *episcopali officio functum jam fuisse ubi Emeritam venerunt negotiatores Græci, comitante eos* puero nomine Fideli (6), *quem sanctus episcopus agnovit filium esse sororis suæ, secumque retinuit, clero suo adjunxit et successorem proximum habuit, postquam* pluribus annis *in clero Deo irreprehensibiliter deservierat* (7). *Renovatus etiam* per plurimos annos *rexisse ecclesiam Emeritensem dicitur* (8), *qui tamen nisi Innocentii decessoris*

(1) *Bibl. Hisp. Vet.*, tom. I, p. 374, n. 232. — (2) *Esp. Sagr.*, tom. cit., p. 328, nn. 26, 27. — (3) *Bibl. Hisp.*, loc. cit. — (4) Num. 7. — (5) Num. 9. — (6) Num. 12. — (7) Num. 13. — (8) Num. 50.

ejus episcopatum admodum brevem supponamus (1), *non amplius sexdecim annos illi ecclesiæ præfuit. Ex his itaque locis jure colligitur* multa curricula annorum *apud auctorem nostrum non adeo diuturnum temporis intervallum necessario supponere.*

ex eorum argumentis ;

11. *Validior sane videri potest confirmatio quam pro sua opinione urget Florez* (2) *ex exordio capitis secundi, quod in hactenus vulgatis editionibus conceptum est his verbis :* Fuerunt PLERIQUE idonei viri ante NON satis plurimos annos clementia divina in provincia Lusitaniæ, qui FERUNT gestum Salvatoris nostri miraculum, cum in monasterio cui Cauliana vocabulum est, quod Emerita urbe haud procul situm ferme millibus octo distat, reverendissimus vir piæ memoriæ RENOVATUS ABBAS præesset, postque etiam Emeritensi urbi pontifex extitit mirificus... (3). *Quo loco illud præsens tempus* ferunt *ostendit tunc quum scriberet levita noster, adhuc superstites fuisse* multos *qui rei relatæ interfuerant aut saltem monachum de quo agitur noverant, adulta utique ipsi ætate, idque eo tempore quo Renovatus nondum Emeritensi ecclesiæ præerat : qui quum certe ante annum 633 vita decesserit* (4), *postquam* per plurimos annos irreprehensibiliter rexisset ecclesiam (5), *circa annum 615 pontificales infulas accepisse censendus est. Contigit igitur relatum prodigium ineunte seculo VII, quumque* ante non satis plurimos annos *contigisse narretur, ejusque testes* plerique *seu multi noti fuerint scriptori, legitime*

(1) Cfr. infra Annot. *a*, ad cap. XXI. — (2) *Esp. Sagr.*, tom. cit., p. 329, n. 28. — (3) Num. 5. — (4) Cfr. infra Annot. *a* ad cap. XXI. — (5) *De vitis PP. Emer.*, n. 50.

sibi concludere videtur Florez eum sub Stephano I, Renovati successore, libello suo concinnando operam dedisse. Verum huic argumento opponitur quod in codice S. Æmiliani exordio citati capitis non legitur ante NON satis plurimos annos, *sed* ante NOS satis plurimos annos, *quod sensum omnino contrarium reddit, eamque lectionem per se probabiliorem videri ex particula* satis *quæ voci* plurimos *præposita legitur, haud ineleganter, si vox immediate præcedens legatur* nos, *insulse omnino, si* non. *Præterea non video cur illud præsens* ferunt *necessario interpretandum sit significare testes, ut vocant, de visu : potuerunt scilicet illi* idonei viri *rem referre ex auditu, ac proinde etiam quoad ipsos jam ante satis plurimos annos transactam.*

sed efficacius probatur ex præfatione totius libelli

12. *His argumentis sepositis, aliæ viæ ineundæ sunt ut ætatem scriptoris nostri aliquatenus definire valeamus. Et res quidem facile expedietur, si admissum fuerit, quod omnino nobis admittendum videtur, præfationem quæ primæ libelli parti præmittitur non ad solum primum miraculum cujus narratio subsequitur capite I, sed ad totum opusculum esse referendam* (1). *Jam enim, hoc admisso, ex fine præfationis certo colligitur, scriptorem nostrum non fuisse testem omnino æqualem seu oculatum, sed supparem, eorum quæ refert. Indicat enim se narrare velle* ea quæ HODIERNIS TEMPORIBUS in Emeritensi urbe *contigerunt quæque* ipse EOS referentes auribus suis audivit *qui tunc quum scribebat jam* e corpore egressi *erant. Nihil sane magis perspicuum desiderari potest.*

et aliis indiciis :

13. *Sed et non paucis aliis indiciis confirmatur hæc de ætate scriptoris nostri conclusio. Etenim*

(1) Cfr. infra Annot. *f* ad illam præfationem.

ubi in altera parte sui libelli gesta narrare aggreditur quinque episcoporum quorum corpora in basilica S. Eulaliæ requiescunt, ea se narraturum significat, sicuti relatu multorum ad eum perlata sunt (1). *Deinde, ubi de* Innocentio *sermonem habet, qui quartus fuit ordine temporis inter episcopos quorum Acta hic exhibentur, ita scribit ut omnino pateat eum hoc episcopo sedente aut Emeritæ versatum non esse aut admodum fuisse juvenem :* Qui eodem tempore quo ordinatus est, UT FERTUR, in ordine diaconorum ultimus habebatur. Tantæ denique sanctitatis tantæque compunctionis fuisse PERHIBETUR ut quoties pluvia deerat... (2). *Certe his dicendi modis usus non fuisset in describendo res in conspectu omnium positas vir qui eas ipse conspexisset. Denique et quæ evenerunt temporibus Leovigildi regis (an. 569-586)* prisca majorum gesta *ipsi videntur* (3) : *qui loquendi modus rursus scriptorem his juniorem manifestat. Attamen ex hoc loco quem ultimum citavimus colligere licet scriptorem nostrum a rebus narratis non adeo ætate fuisse remotum. Etenim absoluta narratione prodigii quod contigit Renovato nondum episcopo, ac proinde ante annum 615 vel certe 620, et alterum narraturus quod temporibus Leovigildi regis innectit, his verbis ab illo ad hoc sermonem transfert :* Dum NOVELLA narrare studemus, PRISCA MAJORUM gesta omiseramus. *Profecto qui potuit duo facta intervallo minus quinquaginta annorum separata invicem opponere tamquam* novellum prisco, *is a posteriore, immo et ab utroque non admodum longinque disjunctus fuerit oportet. Quod enim in ratione spatii, id etiam*

(1) Cap. IV prolog. — (2) Num. 49. — (3) Num. 7.

in ratione temporis obtinet, ut quo longius ipsi a rebus recedimus, eo minori intervallo; quo propius, majori res ipsæ invicem distare videantur. Inde itaque omnino in hanc sententiam adducimur ut libellum de vitis sanctorum Patrum Emeritensium non post, sed ante medium seculum septimum conscriptum censeamus. Nec spernendam confirmationem hujus conclusionis præbent Acta S. Masonæ. *Ubi quæ ad persecutionem Leovigildi regis adversus catholicos spectant et cetera quæ subsecuta sunt tam fuse narrata sunt, tantaque copia adjunctorum et distincta multorum virorum qui iis rebus interfuerunt nuncupatione adornata ut ea ex testium oculatorum relatione (neque enim de documentis scriptis quisquam hic cogitabit) accepisse scriptor censendus videatur. Jam vero hæc inter annos 580 et 590 gesta sunt.*

nec ab ea ætate abhorret genus scribendi.

14. *Certe ab horum temporum ratione haud abhorrere judicanda est quæ in libello nostro facile legentibus apparet sermonis rusticitas. Nam et auctori nostro exprobrare licet quod sibi ipsi opponebat Gregorius Turonensi* (1) : Pro ablativis accusativa *(post particulas præpositivas* in, pro) et rursum pro accusativis ablativa *(post* per, de, cum, ante) ponis. *Frequentissime etiam verba passiva et quæ deponentia vocant grammatici recentiores, enuntiantur forma activa et aliquando vice versa formam passivam exhibent activa; modus indicativus usurpatur pro subjunctivo post particulam conjunctivam* ut ; *pronomini* quæ *in casu nominativo vel accusativo substituta est forma* qua ; *voces disjunctivæ* aut, vel, *passim usurpantur pro* et, *et passim etiam* dum *pro* cum. *Alia omitto*

(1) *De gloria conf.*, Præf. (P. L., tom. LXXI, p. 829).

quæ potius librario videntur adscribenda (1). *Non ita tamen barbarus est stylus apud Emeritensem levitam ut hominem a litterarum tractatione alienum denotet : neque enim desideratur in eo copia verborum aut sententiarum apta connexio. Quoad res ipsas, si ultimos* Masonæ *annos excipias, totus est, sicut fere solent hujusmodi scriptores, in describendis virtutibus et miraculis, et si qua horum occasione alia commemorat, eo modo attingit quo facile inter pios clericos inferioris ordinis sermo de iis institui poterat. Altiores factorum aut consiliorum causas vel quæ ad rationem rei publicæ pertinent, frustra apud eum quæsieris. Denique nullas temporum notas distincte indicat.*

§ III. Actorum S. Masonæ chronotaxis.

Floruit Masona *Leovigildo et Reccaredo regibus.*

Quæ in hanc rem tanti momenti ex Emeritensis levitæ libello colligi possunt fere ad hoc reducuntur, quod Masona *pontificatum gessit Leovigildo et Reccaredo regibus et in decrepita ætate ex hac vita migravit. Ex aliis vero documentis illam lacunam aliquatenus supplere licet. Inter hæc primo loco ponendum Chronicon Joannis abbatis Biclarensis, postea episcopi Gerundensis, qui ipsis* S. Masonæ *temporibus in Hispania vixit. Apud quem tamen hæc pauca solummodo verba de sancto nostro leguntur :* Anno VII Justini imperatoris, qui est Leovigildi V annus, *(id est anno æræ christianæ 573)*... Mausona Emeritensis episcopus in nostro dogmate clarus habetur (2). *Ubi*

(1) Cfr. infra Annot. in capite libelli. — (2) Migne, P. L., tom. LXXII, p. 864-865.

recte advertit Florez (1) *contra nonnullos, non indicari annum quo episcopus consecratus est* S. Masona, *sed quando jam episcopus* clarus *habebatur.*

Interfuit conciliis Toletanis annorum 589 *et* 597.

16. *Duos præterea certos annos episcopatus* S. Masonæ *præbent celebre concilium Toletanum III anni 589, in quo coram Reccaredo rege et episcopis sexaginta duobus ariana hæresis a gente Wisigothorum abjecta fuit, et alterum item Toletanum (quod tamen singulari numero insignitum non est, forte quia non fuit totius provinciæ, sed ad illud accesserunt tantum tres metropolitani et præterea alii episcopi decem vel tredecim) anni 597. Utrique enim* Masona *ut antiquissimus metropolitanorum præsedit et primus episcoporum subscripsit. Prior subscriptio sic habet :* Masona, in Christi nomine ecclesiæ catholicæ Emeritensis metropolitanus episcopus provinciæ Lusitaniæ, his constitutionibus, quibus in urbe Toletana interfui, annuens subscripsi (2). *Altera vero :* Masona, in Christi nomine Emeritensis episcopus, subscripsi (3).

Epistola S. Isidori ad Masonam, *quibusdam suspecta,*

17. *Quartum ad chronologiam gestorum* S. Masonæ *documentum habemus epistolam canonicam S. Isidori quam post alios in præclara sua editione operum S. Isidori vulgavit* (4) *Faustinus Arevalus, sic inscriptam :* Domino sancto meritisque beato Massonæ episcopus Isidorus ; *subscriptam vero:* Datum pridie kal. mart. anno tertio regni domini nostri gloriosissimi Witerici regis, *id*

(1) *Esp. Sagr.*, tom. XIII, p. 201-202. — (2) Aguirre, *Conc. Hisp.*, tom. III, p. 235 ; Mansi, *Conc.*, tom. IX, p. 1000. — (3) Aguirre, p. 305 ; Mansi, tom. X, p. 478. — (4) Tom. VI, p. 563-565 ; Migne, P. L., tom. LXXXIII, p. 899.

est anno æræ christianæ 605 vel 606 (1). *Hanc epistolam authenticam esse negarunt aut saltem suspectam habuerunt multi, inter quos Morinus, Cellarius, Dupinius, Oudinus, Natalis Alexander et Cardinalis de Aguirre, genuinam vero propugnarunt Henricus Florez* (2) *et Arevalus* (3). *Argumenta contra authentiam huc reducuntur quod doctrina hujus epistolæ, ubi pronuntiat Isidorus* eum *(episcopum vel sacerdotem)* posse restaurari in proprio honore qui per pœnitentiæ satisfactionem novit propria delicta deflere : *eam doctrinam, inquam, esse contrariam disciplinæ ecclesiæ hispanicæ, immo et ipsi Isidoro lib.* II *de ecclesiasticis officiis, cap. 5 et in epistola ad Helladium.*

legitur in antiquis codicibus non paucis ;

18. *Defensoribus vero authentiæ in primis allegare licet copiam codicum mss. qui epistolam nobis servaverunt. Codices illi in duas classes distribui possunt. Altera est eorum qui libros Sententiarum S. Isidori continent iisque loco prologi præfigunt epistolam ad* Masonam. *Ad hanc pertinent Lucensis seculi XI* (4), *Florentinus item sec. XI* (5), *Pistoriensis sec. XII* (6), *Vaticanus 632 sec. XIII vel XIV* (7), *Vaticano-Urbinas 106 sec. XV* (8) *et S. Angeli Romæ sec. XV* (9). *Ad alteram, ubi illa epistola seorsim exscripta legitur, Pomposianus sec. XI* (10), *Vaticanus 1344 sec. X* (11),

(1) Cfr. infra Annot. *b* ad cap. XVII. — (2) *Esp. Sagr.*, tom. XIII, p. 203-205. — (3) *Isidoriana*, cap. 73, n. 11-22 (Isidori opp. tom. I, p. 630 sqq.; P. L. tom. LXXXI, p. 495 sqq). — (4) Ibid., cap. 43, n. 27. — (5) Ibid., nn. 28, 30. — (6) Ibid., n. 31. Cfr. cap. 46, n. 12. — (7) Ibid., cap. 94, n. 24 (tom. II, p. 247). — (8) Ibid., cap. 104, n. 19 (p. 383). — (9) Ibid., cap. 107, n. 18 (p. 419). — (10) Ibid., cap. 46, n. 9 (tom. I, p. 392). — (11) Ibid., cap. 96, n. 7 (tom. II, p. 261).

Vaticanus 5751, quoad hanc partem sec. X (1), *Vaticano-Palatinus 973 sec. IX vel X* (2), *Vaticano-Ottobonianus 312 sec. X* (3) *et alter 14 sec. circiter XII* (4). *Qui si non ita multi alicui videntur inter tantam farraginem codicum quos recenset Arevalus in quarta parte suorum Prolegomenon, is consideret velim singulis his codicibus non omnia Isidori opera exhiberi, sed pauca et diversa, nec mirum esse quod minora quædam, qualis est epistola ad* Masonam, *subinde prætermittantur potius quam ea quæ passim extolli et commendari solebant, cujusmodi sunt commentarii in S. Scripturam, libri Etymologiarum, Sententiarum, de Officiis ecclesiasticis, etc. Advertendum præterea codices qui epistolam ad* Masonam *continent, plerosque antiquitate præstare. Sed et alios quosdam ex Canisio et Du Breul indicat Henricus Florez* (5).

neque doctrinæ Isidori in aliis ejus scriptis expressæ

19. *Ad argumentum vero præcipuum adversariorum haud improbabile responsum opponitur ab Arevalo* (6). "*Ceterum, si quid video (sic ille) epistola ad* Massonam *non solum in se spectata Isidoro maxime digna est, sed etiam nihil exhibet aut libris de Officiis ecclesiasticis aut epistolæ ad Helladium contrarium. Omitto hanc ipsam ad Helladium epistolam aliis spuriam, et gravioribus forte rationibus, videri. Certe non est epistola ad* Massonam *rejicienda quia contraria est epistolæ ad Helladium, et rursus hæc quia alteri opponitur. Dissensio quidem, quod aiebam, nulla est, nisi epistola ad* Massonam *sibi ipsi dissentire et repu-*

(1) Ibid., cap. 98, n. 8 (p. 288). — (2) Ibid., cap. 103, n. 25 (p. 364). — (3) Ibid., cap. 105, n. 16 (p. 399). — (4) Ibid., n. 4 (p. 394). — (5) *Esp. Sagr.*, tom. XIII, p. 203, n. 138. — (6) Isidor., cap. 73, n. 15-18 (p. 633-635).

gnare dicatur. Ex epistola ad Helladium et ex loc. cit. de Officiis eccles. solum arguitur, post lapsum corporalem nequaquam reparandum antiqui ordinis meritum. Verba epistolæ ad Helladium sunt : Deposcimus ut idem lapsus sancto cœtui vestro præsentatus, agnito a vobis confessionis eloquio, synodali sententia a gradu sacerdotali deponatur... Sciat enim se amisisse nomen et officium sacerdotis, qui meritum perdidit sanctitatis. Quapropter judicii vestri decreto pœnitentiæ perpetim flagitia perpetrata lamentatione deploret, plangat sacerdotii cultum quem male vivendo perdidit, *etc. Minus autem urgent quæ Isidorus de sanctitate sacerdotis loc. cit. de Officiis disputat :* Quod autem is qui post baptismum aliquo mortali peccato correptus sit, ad sacerdotium non promoveatur, lex ipsa testatur... Sed quid plura subjiciam? Si enim is qui jam in episcopatu vel presbyterio positus mortale aliquod peccatum admiserit retrahitur ab officio, quanto magis ante ordinationem peccator inventus non ordinetur... Qui enim alium de peccatis arguit, ipse a peccato debet esse alienus.

20. " *Hæc omnia et fortasse gravioribus verbis Isidorus in epistola ad* Massonam *astruit, sed ita ut in concordiam revocet cum canone 19 concilii Ancyritani, quo præscribitur in lapsu corporali restaurandum honoris gradum post pœnitentiam.* Verum, *inquit,* quod sequenter in epistolis venerabilis fraternitas vestra innotuit, nulla est in hujusmodi sententiis decretorum diversitas intelligenda, quod alibi legitur in lapsu corporali restaurandum hominis gradum post pœnitentiam, alibi post hujusmodi delictum nequaquam repa- *ita contradicit*

randum antiqui ordinis meritum. *Viden' ut Isidorus etiam in hac epistola sustineat post corporalem lapsum nequaquam reparandum antiqui ordinis meritum? Audi nunc ipsum Isidorum canones in speciem diversos ad concordiam reducentem. Hæc enim diversitas hoc modo distinguitur :* Illos enim ad pristinos officii gradus redire canon præcipit quos pœnitentiæ præcessit satisfactio vel digna peccatorum confessio; at contra ii qui neque a vitio corruptionis emendantur atque hoc ipsum carnale delictum quod admittunt, etiam vindicare quadam superstitiosa temeritate nituntur, nec gradum utique honoris nec gratiam communionis recipiunt... Hi neque immerito consequuntur ademptæ dignitatis statum qui per emendationem pœnitentiæ recepisse noscuntur vitæ remedium. *Et post plura* : Ecce, in quantum valui, concilii Ancyritani antiquam et plenam auctoritate sententiam sacris testimoniis plane explanavi, ostendens eum posse restaurari in proprio honore qui per pœnitentiæ satisfactionem novit propria delicta deflere ; qui vero neque luget quæ gessit, sed lugenda sine ullo pudore religionis vel timore divini judicii committit, eum nullo modo posse ad pristinum gradum restaurari.

ut cum eadem facile

21. " *Doctrina ergo Isidori, sibi undique cohærens, hæc est, eum qui per carnis lapsum vel quodvis aliud grave delictum dignitatis suæ gradum amisit, recuperare illum nullo unquam tempore posse nisi* dignos pœnitentiæ fructus *faciat, ut per emendationem vitæ remedium recepisse noscatur. Quare loc. cit. de Offic. eccles. concludit :* Qui negligit recta facere, desinat recta docere. Prius enim semetipsum corrigere debet qui alios ad bene vivendum

admonere studet. *Quod si in epistola ad Helladium Cordubensi episcopo perpetua pœnitentia imponenda indicatur, fortasse graviora quædam crimina id flagitabant : dicitur enim* de altitudine honoris in profundo flagitiorum flenda ruina demersus... Lugeat animæ suæ statum, quem tanto putredinis cœno inquinavit. *Innuitur tamen locum esse posse restitutioni, cum additur :* Fortasse porriget illi manum quandoque Spiritus sanctus, ut per dignam satisfactionem mereatur peccatorum remissionem. *Præterea aliud est quod pœnitentia injuncta esset perpetua ex parte pœnitentis, ut ita loquar, quia ipse jure reparationem exigere non poterat, aliud quod in potestate episcopi vel concilii esset presbyterum vel episcopum lapsum qui peculiaria pœnitentiæ et contritionis signa præbuisset, ex indulgentia ad pristinum gradum admittere. „*

conciliari non possit,

22. *Hactenus Arevalus, cujus verba integra referenda duxi, quamvis vim responsionis non omni ex parte admittam. Admitto scilicet, quod præcipuum est, nullam esse inter epistolam ad Helladium et epistolam ad* Masonam *talem contradictionem ut earum alteram spuriam censere oporteat; non admitto doctrinam Isidori in utraque ita sibi undique cohærere ut quam in priori proposuerat, in altera nullatenus ab ea deflexerit. Censeo itaque Isidorum prius severiorem illam sententiam secutum esse et proposuisse quæ sacerdoti lapso omnem restitutionis spem adimeret; postea vero, quum ipsi objectus fuisset a* Masona *canon concilii Ancyrani, quem aut non noverat Isidorus aut non attenderat, illam sententiam mitigaverit ut aliquo modo cum objecto canone in concordiam reduci posset.*

sicut et cum disciplina ecclesiæ Hispanicæ :

23. *Pari modo restringendam arbitror vim responsionis Arevali ad alteram partem argumenti adversariorum, quam ita proponit : " Doctrinam vero ab Isidoro in epistola ad* Massonam *traditam de sacerdotis lapsi reparatione disciplinæ ecclesiæ Hispanæ contrariam non fuisse, colligi potest cum ex epistola Innocentii I ad Patres concilii Toletani, tum ex concilio Toletano XIII anno 683, can. 10, tum denique clarius ex concilio Ilerdensi anno 564, apud alios 524, can. 5, ubi hæc statuuntur :* Hi qui altario Dei deserviunt, si subito in flenda carnis fragilitate corruerint, et Domino respiciente digne pœnituerint, ita ut mortificato corpore cordis contriti sacrificium Deo offerant, maneat in potestate pontificis vel veraciter afflictos non diu suspendere vel desidiosos prolixiore tempore ab Ecclesiæ corpore segregare: ita tamen ut sic officiorum suorum loca recipiant ne possint ad altiora officia ulterius promoveri, *etc. Adde Bachiarii scriptoris Hispani anno circiter 400 epistolam ad Januarium de Reparatione lapsi sive de Lapsis reparandis. „ Hæc itaque eatenus vera esse censeo quatenus ipsius ecclesiæ Hispanæ disciplina in hac re non semper et ubique sibi fuit constans, sed quum plerumque iis primis seculis severam se potius quam mansuetam præberet, aliquando tamen pro tempore et loco aliquam non refugit remissionem. A severiori itaque illa in epistola ad* Masonam *recessit Isidorus et indulgentiori, canone Ancyrano pressus, se accommodavit.*

ex ea habenus Masonam *anno* 605 *nondum e vivis excessisse.*

24. *Jam itaque his rationibus satis, ut nobis videtur, comprobata prædictæ epistolæ authentia, inquirendum est quonam anno ea missa fuerit.* Data *legitur in subscriptione* pridie kalendas

martii anno tertio regni Witerici regis (1). *Witericus autem regnare cœpit, teste Isidoro* (2), æra 641, anno imperii Mauricii 21, *id est æræ christianæ 603. Scripta igitur fuit epistola anno 605, si Witericus mense januario aut februario Gothorum regni potitus est; anno 606, si post mensem februarium regnum capessivit. Et inde ulterius colligitur* S. Masonam *adhuc in vivis fuisse anno 605 vel 606. Non diu tamen inde supervixit: nam Innocentius ejus successor subscripsisse legitur anno 610 constitutioni Gundemari regis de primatu ecclesiæ Toletanæ* (3), *et quidem secundo loco inter quatuor metropolitanos ac proinde non ita recens dignitatem suam adeptus. Quo autem certo anno vel qua die obierit, ex documentis genuinis adhuc non constat. Id itaque solum indubium manet,* Masonam *jam fuisse episcopum anno 573, sedisse saltem usque ad annum 605 et e viris excessisse ante annum 610. Quumque ex Vita ejus discamus eum pervenisse ad decrepitam usque ætatem* (4), *profecto non multum a vero aberraverit qui eum circa annum 530 natum, circa annum 570 episcopalibus infulis fuisse decoratum existimaverit.*

Masonæ *exilium innectendum anno* 582,

25. *Præterea satis certo aut probabilissime definire licet quo tempore gesta sint quæ ultimis capitibus in Vita* S. Masonæ *leguntur. Imprimis vix cuiquam dubium esse potest quin sancti episcopi exilium innectendum sit* magnæ *illi* persecutioni *quam* in Hispaniis christianis *illatam Gregorius*

(1) Cfr. supra, num. 17. — (2) *Hist. de regibus Gothorum,* n. 58 (Isidori opp., tom. VII, p. 126; Migne, P. L., tom. LXXXIII, p. 1073). — (3) Aguirre, *Conc. Hisp.*, tom. III, p. 324; Mansi, tom. X, p. 511. Cfr. infra Annot. *a* ad cap. XXI. — (4) *PP. Emer.* num. 46.

Turonensis refert ad annum quintum Childeberti regis seu Christi 580, in qua multi exiliis dati, facultatibus privati, fame decocti, carcere mancipati, verberibus affecti ac diversis suppliciis trucidati sunt (1), *ejusque persecutionis occasio fuerit bellum quod Hermenegildus, Leovigildi regis filius, nuper ad catholicam ecclesiam ex ariana hæresi conversus, eo ipso anno 580 adversus patrem suum suscepit* (2). *Hoc itaque tempore Emeritæ quasdam ecclesias catholicorum invadere potuit episcopus arianus Sunna. Quumque aliquod temporis spatium concedendum sit certaminibus illis et machinationibus quibus idem* S. Masonam *impetiit* (3), *facile usque ad annum 582 differre licet sancti nostri exilium. Post triennium autem in exilio transactum* (4) *Emeritam reversus est, anno igitur 585. Quæ omnia inde confirmantur quod scriptor noster statim post* Masonæ *reditum refert mortem Leovigildi regis, is autem decimo octavo anno regni sui, Mauricii imperatoris quarto, id est æræ christianæ 586 diem supremum clausit* (5).

Sunnæ exilium et clades, Francorum annis 587 et 588.

26. *Deinde* anno VI Mauricii, qui est Recaredi II annus *(Christi 587),* quidam ex arianis Sunna episcopus et Seggo cum quibusdam tyrannidem assumere cupientes, deteguntur. Convicti, Sunna exilio truditur... (6) ; *et* anno VII Mauricii, qui est Recaredi regis III *(Christi 588)*... Francorum exercitus a Gonterano rege transmissus, Bosone duce, in Galliam Narbonensem obveniunt et juxta Carcassonensem urbem castra metati sunt. Cui Claudius Lusitaniæ dux a Recaredo rege directus

(1) *Hist. Franc.*, lib. v, cap 38.—(2) Joan. Biclar. Cfr. infra § IV. — (3) *PP. Emer.*, num. 27-29. — (4) Ibid., num. 32. — (5) Joan. Biclar. (P. L., tom. LXXII, p. 868). — (6) Ibid.

obviam inibi occurrit; cum quo congressione facta, Franci in fugam vertuntur et direpta castra Francorum, et exercitus a Gothis cæditur... (1). *His testimoniis plane demonstratur quibus annis illiganda sint ea quæ fusius circa illa facta narrantur in Actis* S. Masonæ (2).

§ IV. Num S. Masona Hermenegildi partibus adhærendo Leovigildi iram incurrerit.

Ne Masona *particeps fuisse conscatur rebellionis Hermenegildi*

Ex dictis de tempore exilii S. Masonæ *facile alicui suspicio oriri posset, hujus exilii causam fuisse quod Hermenegildi partibus adhæserit sanctus episcopus et ita Leovigildi iram in se concitarit. Quum enim Hermenegildus doctrinæ catholicæ, Leovigildus vero arianæ sectæ defensorem ageret, pronum est conjicere episcopos catholicos omni conatu adnisos esse ut hunc ille superaret. Et suspicionem illam non parum roborare forte videbitur quæ passim legitur a S. Leandro Hispalensi episcopo suscepta pro Hermenegildo legatio ad Tiberium imperatorem CPanum ut eum ad subsidia præbenda catholico regi adduceret. Præterea Emeritensem civitatem inter eas* civitates atque castella *fuisse quas Hermenegildus* secum contra patrem rebellare fecit (3) *colligitur ex Gregorio Turonensi, qui* (4) : His diebus, *ait, (id est anno septimo Childeberti regis seu Christi 582,)* Leuvichildus rex in exercitu contra Herminichildum filium suum residebat, cui et Meritam civitatem abstulit. *Annum autem 582 exilio* Masonæ *insignitum fuisse supra indicavimus.*

(1) Joan. Bicl. (P. L., tom. LXXII, p. 868). — (2) Capp. XVIII, XIX. — (3) Joan. Biclar., cit. num. seq. — (4) *Hist. Franc.*, lib. VI, cap. 18.

obstat quod illa rebellio, testibus Joanne Biclarensi,

28. *Attamen facili etiam negotio illa suspicio diluitur. Unanimi enim et miro consensu scriptores ecclesiastici Hispani illius ætatis vel Hermenegildi consilia adversus patrem omnino et acriter improbant vel saltem omnino abstinent ab eo laudando nec ullus eum ut martyrem celebrat, quod et alii scriptores ante nos non sine admiratione adverterunt* (1). *Joannes Biclarensis in suo Chronico:* Anno III Tiberii imperatoris, qui est Leovigildi XI annus *(Chr. 580)*... filius ejus *(Leovigildi)* Hermenegildus factione Gosuinthæ reginæ tyrannidem assumens, in Hispali civitate rebellione facta recluditur, et alias civitates atque castella secum contra patrem rebellare facit. Quæ causa in provincia Hispaniæ tam Gothis quam Romanis majoris exitii quam adversariorum infestatio fuit (2). *De reliqua autem Hermenegildi historia hæc tantum tradit Biclarensis :* Anno VI Tiberii, qui est Leovigildi XIV annus... Leovigildus rex exercitum ad expugnandum tyrannum filium colligit. — Anno primo Mauricii imperatoris, qui est Leovigildi annus XV, Leovigildus rex civitatem Hispalensem congregato exercitu obsidet et rebellem filium gravi obsidione concludit. — Anno II Mauricii imperatoris, qui est Leovigildi XVI annus... Leovigildus rex, filio Hermenegildo ad rempublicam commigrante, Hispalim pugnando ingreditur, civitates et castella quas filius occupaverat cepit, et non multo post memoratum filium in Cordubensi urbe comprehendit, et regno privatum in exilium Va-

(1) Cfr. Arevalus, *Isidoriana*, cap. 79, n. 25-41 (P. L., tom. LXXXI, p. 553 sqq.) ; Gams, *Kirchengesch. von Spanien*, tom. II, part. II, p. 1-5. — (2) P. L., tom. LXXII, p. 866.

lentiam mittit. *Denique* anno III Mauricii, qui est Leovigildi annus XVIII.... Hermenegildus in urbe Tarraconensi a Sisberto interficitur. *Paulo inferius utique refert præterea Biclarensis ad annum I Reccaredi :* Sisbertus interfector Hermenegildi morte turpissima perimitur; *sed neque hoc loco quidquam in laudem aut excusationem Hermenegildi profert. Hæc adeo offenderunt Aguirrium ut Biclarensis Chronicon citatis locis ab arianis adulteratum censuerit* (1), *sed gratuita omnino conjectura.*

S. Isidoro Hispalensi,

29. *Isidorus vero Hispalensis in Chronico suo :* Gothi, *ait,* per Hermenegildum, Leovigildi regis filium, bifarie divisi, mutua cæde vastantur (2). *Et in Historia de regibus Gothorum, Wandalorum et Suevorum, cap. 49 : (Leovigildus)* Hermenegildum filium, imperiis suis tyrannizantem, obsessum exsuperavit (3); *et cap. 91 : (Miro rex Suevorum)* in auxilium Leovigildo Gothorum regi adversus rebellem filium expugnandum Hispalim *pergit* (4). *Idem Isidorus in libro de Viris illustribus, cap. 41* (5), *Leandri fratris sui natu majoris elogium texens, laudat ejus scripta adversus arianos et industriam in convertendis Gothis ab eorum hæresi, sed ne verbo quidem meminit Hermenegildi ipsius opera ad veram fidem deducti.*

S. Leandro hujus fratre,

30. *Ipse quoque Leander omnino silet de Hermenegildo in sermone suo quo conversionem Gothorum celebravit in concilio Toletano III anno 589* (6). *Quod autem pro eo legatione functus fuerit Constantinopoli apud Tiberium imperato-*

(1) *Conc. Hisp.*, tom. III, p. 310.— (2) P. L., tom. LXXXIII, p. 1055, n. 117. — (3) Ibid., p. 1071. — (4) Ibid., p. 1082. — (5) Ibid., p. 1103. — (6) P., L. tom. LXXII, p. 893.

rem, id eruunt ex verbis Gregorii M. in præfatione ad libros Moralium ita Leandrum alloquentis : Dudum te, frater beatissime, in Constantinopolitana urbe cognoscens, cum me illic sedis apostolicæ responsa constringerent, et TE ILLUC INJUNCTA PRO CAUSIS FIDEI WISIGOTHORUM INJUNCTA LEGATIO PERDUXIT... (1). *Sed quonam argumento probatur legationem illam Leandro* injunctam *fuisse ab Hermenegildo? Nonne saltem æque probabile est eam susceptam esse a Leandro ex mandato seu petitione episcoporum Hispanorum qui, quum Leander in illa persecutione Leovigildi* (2) *exulare cogeretur (et quidem disertis verbis Isidorus ejus frater iter ipsius Constantinopolitanum* exilii sui peregrinationem *dicit)* (3), *eum rogarint ut de negotiis ecclesiæ Hispanicæ conferret cum imperatore, qui illo tempore partem Hispaniæ adhuc obtinebat ? Itaque, quamvis ex testimonio S. Gregorii M.* (4) *admittere liceat Leandrum præcipuam aliquam partem habuisse in Hermenegildi conversione, at nulla ratione sequitur eumdem ulterius Hermenegildi adversus patrem rebellionis fuisse participem.*

et Levita nostro Emeritensi,

31. *Citatis jam Joanni Biclarensi, Isidoro et Leandro adjungere licet levitam nostrum Emeritensem, qui quum Gregorii M. Dialogos diligenter legisset* (5), *non solum Hermenegildi historiam silentio texit, sed, quod maxime notatu dignum est, exordia Reccaredi regis referens et verba Gregorii manifeste assumens, ita tamen hæc mutavit ut Her-*

(1) P. L , tom. LXXV, p. 509. — (2) Cfr. supra num. 25. — (3) Isidor., *De viris illustr.* cap. 41 (P. L., tom. LXXXIII, p. 1103).— (4) *Dialog.*, lib. III, cap. 31 (P. L., tom. LXXVII, p. 269). — (5) Cfr. Præfat. in capite totius libelli.

menegildi mentionem et laudem supprimeret. Dixerat nempe Gregorius : Post cujus *(Leovigildi)* mortem Recharedus rex non patrem perfidum, sed FRATREM MARTYREM sequens, ab arianæ hæresis pravitate conversus est (1). *Emeritensis vero noster* (2) : Post cujus crudelissimam mortem venerabilis vir Reccaredus princeps... qui non patrem perfidum, sed CHRISTUM DOMINUM sequens, ab arianæ hæreseos pravitate conversus est... *Nec profecto huic scriptori accommodari potest responsio qua vim argumenti ex superioribus testimoniis deducti aliquatenus eludere nonnulli conati sunt, Biclarensem videlicet, Isidorum et Leandrum deterritos esse reverentia Reccaredi regis ne de ejus patre deterius loquerentur. Nam auctor noster et diu post Reccaredi obitum scripsit et ita Leovigildum sugillavit ut ejus famæ parcere voluisse nullo modo supponi possit. Speciminis gratia recolamus quæ allatis modo verbis præmittitur Leovigildi mortis descriptio :* Igitur cum non prodesset sed obesset, magis perderet quam regeret Leovigildus Hispaniam, nec quidpiam de flagitiis vel facinoribus remaneret quod non proprium sibi defenderet, deserens usquequaque Deum, imo derelictus ipse a Deo, regnum simul cum vita infeliciter perdidit, gravissimoque morbo Dei judicio correptus vitam fœdissimam amisit et mortem sibi perpetuam acquisivit, crudeliterque e corpore ejus anima resoluta, perpetuis pœnis detenta, perenniter catenis Erebi mancipata, Tartaris non immerito tenetur religata picibus semper bullientibus undis arsura.

(1) *Dialog.*, loc. cit. — (2) Num. 37.

maxime displicuit episcopis Hispaniæ catholicis.

32. *Ex his igitur omnibus satis liquere videtur quam parum arriserint episcopis Hispaniæ catholicis Hermenegildi consilia, nec aliter eos sensisse quam Gregorium Turonensem, qui ultimam Hermenegildi cladem, qua in manus patris sui venit, narraturus ita exorditur :* Igitur cum Herminichildus, sicut supra diximus, patri infensus esset, et in civitate aliqua Hispaniæ cum conjuge resideret,... patrem ad se cum exercitu venire cognovit, consiliumque iniit qualiter venientem aut repelleret aut necaret; nesciens miser judicium sibi imminere divinum, qui contra genitorem, quamlibet hæreticum, talia cogitaret (1). *Unde denique ulterius concludendum (quo tota hæc nostra disputatio tendebat) quam improbabili conjectura opinaretur aliquis* Masonam *ob præstitum Hermenegildo favorem in exilium pulsum fuisse. Cetera vero quæ ad ejus historiam elucidandam afferri possunt, commodius inter Annotata ad ejus Acta expedire licebit.*

(1) *Hist. Franc.*, lib. VI, cap. 43.

DE VITIS ET MIRACULIS

PATRUM EMERITENSIUM

e cod. Academiæ regiæ rer. hist. Matritensis (1).

In editione nostra adornanda hanc normam assumendam duximus ut quam proxime sequeremur codicem quoad ea omnia quæ ab ipso auctore scripta judicari possunt (2), *aut saltem, ubi subinde aliqua emendare, ut sensus intelligi posset, necesse fuit, diligenter lectorem adjecta nota id moneremus; rationem vero scribendi voces librario seu ejus tempori et regioni propriam et a recentiore usu abhorrentem non imitaremur, contenti hoc loco summatim indicasse quænam hujus generis in codice nostro adverterimus. Videlicet littera* h *passim suppressa est initio vocum (vel syllabarum)* hodiernus, hyems, herba, apprehendens, *etc., non tamen vocum* homo *et* hora ; *pro duplici littera* ae *scriptum est simplex* e (hec, ether, prefatio, *etc.,*) ; *pro* mihi, nihil : mici, nicil ; *pro* convivium : combibium ; *passim etiam occurrunt formæ* Eolalia, aliquantolus, incolomis, adulescens, ayo. *Præterea fere ubique legitur in codice nostro* elegere, baselica, *pro* eligere, basilica ; *et contra* deligare, religare *pro* delegare, relegare ; *utramque hanc posteriorem formam in textu nostro servare visum est, quum aliquando dubium videri possit quemnam proprie vocis sensum intenderit*

(1) Fol. 212r sqq. Cfr. supra Comm. præv., num. 8. — (2) Cfr. ibid., num. 14.

scriptor, itemque formam Emereta (Emeretensis), *quæ passim pro vocabulo urbis in codice usurpata est.*

Variantes lectiones e superioribus editionibus adjunximus (vel etiam raro ipsi proposuimus) tantum ubi suspicio occurrit alicujus mendi per librarii oscitantiam admissi quod illarum ope corrigi queat, aut ubi inde sensus alicujus vocis aut sententiæ nimis obscuræ elucidatur, aut denique ubi alicujus lectionis ab aliis editoribus receptæ insignis e codice nostro præberetur emendatio.

Distinctionem et titulos capitum ac partitionem paragraphorum servare visum est secundum editiones Thomæ Tamayi et Henrici Florezii, quo facilius inter has et nostram collatio institui valeat et in nostra reperiri quæ secundum illas passim citata leguntur.

IN NOMINE DOMINI INCIPIT LIBER DE VITAS [1] ET
a MIRACULIS PATRUM EMERETENSIUM *a*.

Prologus. **Præfatio hujus libri.** — Virorum orthodoxorum, maximeque catholicorum, prorsus vera esse nullus ambigeat miracula, quæ [2] sanctissimus egregiusque vates Romanæ præsul urbis Gregorius, inflammatus paracleti charismate Spiritus, Dialogorum in libris veridico edidit prænotationis *b* stylo : quæ olim scilicet omnipotens Deus
b servulis per suis sibi beneplacitis propter honorem nominis sui patrare dignatus est. Ne quolibet ob [3] hoc dubietatis quispiam æstuet animo quod priscis jam temporibus gesta esse videan-

Præf. — [1] *ita cod. Cfr. Comm. præv., num. 14.* — [2] *cod.* qua, *et sic passim. Cfr. Comm. præv., ibid.* — [3] *cod.* ab.

tur, ac fortassis fidem plenam minime accommodet et præfatum sacratissimum virum, [vas] [4] electionis, sacrarium Spiritus sancti, aliqua vanis ac nebulosis verbis fuscasse opinetur, dum luce clarius evangelicæ auctoritatis voce cunctis manifestetur Dominum semper operasse et hactenus operari *c*. Quamobrem, ut omnium legentium vel audientium fides majori credulitatis robore firmetur, ea hodiernis temporibus in Emeretensi *d* urbe fuisse narramus, quæ non relatu aliorum agnovimus, neque finctis fabulis didicimus, sed quæ ipsi eos referentes [5] auribus nostris audivimus, quos e corporibus mirabiliter egressos [6] *e* ad ætherea [7] regna pervenisse non dubitamus.

ANNOTATA.

a *Th. Tamayus in sua editione :* Liber de Vita et miraculis Patrum Emeritensium, *et hanc adjicit notulam : Ita in omnibus fere mss., in aliquot* Vitæ PP. Emeritensium ; *sed placet inscriptio prima quæ eam quam Dialogis suis D. Gregorius Magnus præfixit repræsentat, quem se maxime imitari testatus est Emeritensis noster initio hujus operis. Gregoriana inscriptio sic se habet :* De Vita et miraculis Patrum Italicorum. *Sed* de vita*ne an* vitis ? *Pro* vita *Gregorius Turonensis præfatione libri* de Vita PP. *sui seculi, quum ait :* Quæritur a quibusdam utrum Vitam sanctorum an Vitas dicere debeamus. Agellius autem et alii philosophorum Vitas dicere voluerunt. Nam Plinius auctor in tertio Artis grammaticæ libro ait : Vitas

[4] *om. cod.* — [5] *ed.* eo referente. — [6] *ed.* quem e corpore mir. egressum. — [7] *cod.* ethera.

antiqui cujuscumque nostrum dixerunt. Sed grammatici pluralem non putant habere VITAM. Unde manifestum est melius dici VITAM Patrum quam VITAS : quia cum sit diversitas meritorum virtutumque, una tamen omnes vita corporis alit in mundo (1). *Pro* Vitis *tamen obtinuit usus in* Vitis Patrum, *de quibus plura H. Rosweydus prolegom. I in Vit. PP.*

b *Hanc vocem, ut notavit Th. Tamayus, mutuatus est noster ex Gregorio præfat. lib. I Dialog.:* Quæ jam prolata sunt melius insinuo, si ea quæ per inquisitionem ac responsionem dicenda sunt, sola nominum PRÆNOTATIONE distinguo. *Sed apud Gregorium sensus magis perspicuus est quam hoc loco.*

c *Manifesta allusio ad Joan. V, 17.*

d *De Emeritensis urbis laudibus fuse agit Thom. Tamayus de Vargas in* Apospasmatio de rebus Emeritensibus *hujus libelli editioni subjecto* (2), *et Henricus Florez in sua Hispania sacra* (3). *Illud præcipue ad rem nostram notandum est, Emeritam fuisse metropolim provinciæ Lusitaniæ, civilem quidem inde a tempore Augusti imperatoris* (4), *ecclesiasticam vero jam ante medium seculum IV* (5) *usque ad finem seculi VII* (6).

e *Facile advertet diligens lector quantum intersit inter lectionem antiqui codicis S. Æmiliani* eos referentes.... *et hactenus vulgatam* eo referente.... quem e corpore mir. egressum. *Si posterior ad-*

(1) Greg. Turon. Opp., p. 1143 (P. L. tom. LXXI, p. 1009). — (2) P. L., tom. LXXX, p. 163 sqq. — (3) Tom. XIII, p. 86 sqq. — (4) Ibid., cap. 6 (p. 83 sqq.). — (5) Ibid., cap. 8, n. 35 (p. 148); Gams, *Kirchengesch. Span.*, tom. II, part. 1, p. 420. — (6) Gams, tom. II, part. II, p. 217-221.

mittatur, jam hæc præfatio non ad totum librum spectat, sed ad solum miraculum cap. I narratum, quod omnino improbabile reddunt tum duplex titulus illi inscriptus tum ipse præfationis tenor. Nimis quippe ambitiosum foret, imino et non parum insulsum ex sola visione Augusti pueri efficacissimum velle prætendere argumentum quo confirmetur fides Gregorio M. tribuenda circa miracula relata in Dialogorum libris, quum contra optime procedat argumentum si totum librum de Vitis PP. Emeritensium comprehendat. Solum video opponi posse adverbium mirabiliter, *quo videtur significare scriptor hominum quorum auctoritate nititur mortem insignitam fuisse miraculo : id autem optime convenit Augusto puero, at supponi non potest quoad eos* multos *qui ipsi* referre *potuerunt ea quæ sequentibus capitibus narrat* (1). *Contradictionem aliqua difficultate non carere haud infitior, prævalere tamen adversus argumenta quæ ex antiquitate codicis, ex duplici inscriptione et ex tenore præfationis deducuntur non puto, ac proinde illud* mirabiliter *ita intelligendum existimo ut sanctitatem potius quam prodigia significet.*

(1) Cfr. nn. 5, 7, 9, etc.

[PARS PRIOR.]

CAPUT I.

Augustus puer, minister ecclesiæ sanctæ Eulaliæ Emeritensis, moriturus, per visionem ducitur ad tribunal gloriæ.

INCIPIT DE OBITU PUERULI NOMINE AUGUSTI [1].

Augustus puer, Emeritæ in cella S. Eulaliæ gravi morbo decumbens,

a

b

Puerulus quidam non grandi adhuc ætate et, ut plenius dicam, ephœbus, nomine Augustus, insons, simplex et inscius literis, cum ceteris coævis ac sodalibus suis puerulis fideli mente in domo egregiæ virginis Eulaliæ *a* sui servitii ministerium, quod ei a præposito cellæ venerabile viro fuerat deligatum, perageret *b*, repente hunc contigit ægrotasse. Cumque ad eum visitandum, ut mori [2] est, multi ambularent, crebriusque ipse pergerem, accidit nocte quadam, explicitis vigiliarum solemniis (nam talis in eadem sancta ecclesia mos est, ut hyemis tempore seorsum excubiæ et seorsum matutinum officium, facto intervallo modico, adnitente Domino celebretur) : quo igitur tempore [3] intervallo ad videndum eum perrexi, ingressusque cellam in qua ipse in stratu recubabat, cunctos qui aderant ita repperi sopore depressos ut nullus eorum ad meum fuisset expergefactus introitum ; lumen vero, quod ibi accensum erat, extinctum inveni. Qui protinus omnes ante eum jacentes consurgere monui, et ut lumen, quod extinctum fuerat,

Num. 1. — [1] *cod.* Agusti, *et ita deinceps.* — [2] *ed.* mos *vel* moris. — [3] *ed.* temporis.

denuo accenderetur imperavi; adhibitoque mox lumine præfatum Augustum quemadmodum haberet sciscitavi. At ille inquit : *Equidem, quantum ad præsentis pertinet vitæ spem, fateor ita jam omnes corporis mei artus resolutos, ut nihil virium omnino artubus meis remanserit* [4]. *Quantum vero pertinet ad spem vitæ æternæ, non solum spem habere me gaudeo, verum etiam ipsum vitæ æternæ auctorem Dominum Jesum Christum cum angelorum catervas atque omnium sanctorum innumerabiles multitudines me vidisse confiteor.*

visione Jesu Christi et angelorum

2. Dumque hæc audissem, statim in stuporem versus vehementer contremui, atque ut mihi cuncta quæ viderat singillatim narraret deprecavi. Ad hæc inquit ille : *Testor Dominum cœli et terræ, me tibi phantasticam visionem nullam referre ; sed ut magis credas, fateor etiam tibi me hac nocte minime dormire.* Et dum hæc dixisset, ita loqui exorsus est : *Fui in locum amœnum, ubi erant multi odoriferi flores, herbæ viridissimæ, rosæ ac lilia* [1], *et coronæ ex* [2] *gemmis et auro multæ, vela holoserica innumerabilia et aer tenuis flabrali frigore flatu suo cuncta refrigerans. Ibi etiam vidi sedes innumerabiles positas ad dexteram lævamque, in medio vero sedes* [3] *multo sublimior posita prominebat ; ibi namque adstabant pueri innumerabiles, omnes ornati et pulchri, præparantes mensas et convivium eximium : non de quolibet pecude, sed tantum de altilibus* [4] *omnis parabatur ferculorum copia ; et omne quod parabatur erat candidum instar nivis, et præstolabant adventum domini sui*

[4] *cod.* artus mei remanserint.

Num. 2. — [1] *cod.* liliæ. — [2] *cod.* et. — [3] *cod.* sedis. — [4] *cod. prius* altilia, *corr.* altiliis.

regis. Tum deinde ego indignus, operæ pretium mihi arbitrans fore tantæ rei miraculum si plenius referente illo audirem, aio ad eum : *Dic mihi, obsecro : dum istud quod narras parabatur, tu quid faciebas?* Ille vero respondit: *Omnibus pedes osculabar ; et illi dicebant : Benedictus Deus, qui te bene adduxit. Dum vero hæc dicerent, et omne ministerium præpararent, subito advenit ingens multitudo candidatorum, omnes auro et lapidibus pretiosis ornati et coronis rutilantes rediniti, et una acies ipsius multitudinis ad dexteram, alia vero ad lævam partem gradiebatur, atque ita altrinsecus properantes regi suo ineffabile obsequium exhibebant. In medio autem eorum veniebat vir splendidissimus nimiumque pulcherrimus, forma decorus, aspectu gloriosus, statura procerior cunctis, lucidior sole, candidior nive. Cumque pervenissent ad præparatas sedes, sedit pulchrior ille vir in eminentiori loco, ceteri vero procidentes adorantesque eum resederunt* [5] *in sedibus suis. Statim denique benedixit omnes ; at illi adoraverunt semel et iterum ac tertio. Dein ferculorum præparatio apposita est illis. Dum cœpissent epulari, dixit ille speciosus vir, qui sedebat excelsus, ad eos qui circum adstabant : Aliquis hic rusticus est ? Illi vero responderunt : Adest, Domine. Tum demum ille ait: Præsentetur conspectui meo. Ego autem stabam a longe, et intuebam, et conspiciebam : dumque præsentatus fuissem ejus obtutibus, cœpi vehementer contremere. Ille vero dixit mihi : Noli timere, fili. Transi post scapulam meam, et hic sta. Et adjecit : Noli timere. Scito quia protector tuus ero.*

[5] *cod.* residerunt.

Nunquam tibi aliquid deerit. Ego te semper pascam, ego te semper vestiam, ego te omni tempore protegam, ego et nunquam derelinquam. Illico namque de eodem convivio escam poculumque, qualem nunquam videram, mihi tribuere jussit: quod suscipiens omni cum jucunditate percepi; et vere fateor me ita cibi illius gratia refectum ut deinceps alium nihil præter illum nunquam desiderem cibum. Igitur explicito convivio ait mihi: Ambulet ista multitudo et aliam viam: tu mecum profecturus eris, ut tibi ostendam vivariolum[6] *meum quod habeo. Rursumque consummato jam convivio procederunt omnes et adoraverunt eum; idem benedicens eos rex permisit abire. Illis vero abeuntibus, trahebant ad tribunal ejus nescio quos homines vociferantes, magnisque ululatibus ejulantes. Quorum dum voces audisset, ait: Trahite foras malos servos: non sunt digni videre faciem meam. Quod cum dixisset, tam celeriter nimirum abstracti sunt, ut eos plenius non potuissem videre neque cognoscere.*

3. Rursusque sciscitans dixi: *Quæso, fili, ut mihi dicas si aliquem magnum vidisti ibidem de his qui nobis in hoc seculo cogniti fuerunt et jam de hac luce arcessiti migraverunt?* Ad hæc ille ait: *Homines quos ibi vidi longe erant ab his hominibus quos videmus modo; nam alia forma et alio habitu decorati sunt omnes.* Deinde subjunxit: *Postquam vero traxerunt illos homines foras, surrexit ille ceteris pulchrior dominus de sua sede et adprehendens manum meam eduxit me in hortum amœnissimum, ubi erat rivus, in quo erat aqua vitreique*

ac sanctorum recreatus,

[6] *ita cod. et edd.; sed forte, ut conjiciunt Tamayus et Florez, legendum* viridariolum; *paulo namque infra (num. 3 post med.) inquit:* eduxit me in hortum amœnissimum.

coloris et secus rivum ipsum flores multi et sylvas [1] *aromatum fragrantes* [2] *redolentesque diversis suavitatis odoribus. Ac sic juxta rivum ipsum venientes pervenimus usque ad locum quousque nunc in stratu meo jacens video.*

pie obit, et post mortem suam gloriosus apparet.

4. Hæc mihi sæpe memoratus puer, multis coram positis, retulit. Quamobrem ego indignus et omnium peccatorum primus, levita Christi, quemadmodum narravit scribere malui, verbis licet aliis, sensibus tamen ipsis. Post hæc vero cuncta quæ audieram sanctissimo viro domno et
c abbati *c* meo nuntiare procuravi. Quibus ille agnitis, ut ei semper moris est, viscera pietatis repletus, quantocyus ad eumdem Augustum properavit, atque inhianter quæ dudum narraverat, ejus ex ore audire cupiens, quidnam vidisset sciscitavit; atque idem Augustus quæ prius dixerat, nihilo minus repetens ejus sacris auribus intimavit. Deinde almo ac beatissimo viro cuidam levitæ universisque fratribus se percontantibus, quæ paulo antea dixerat repetebat. Nam mox cœpit animus ejus flagrare desiderio percipiendæ pœnitentiæ. Qua [1] confestim accepta, dum ego abissem atque ad basilicam sanctæ Mariæ semper virginis, quæ quinque millibus ab urbe Emere-
d tensi [2] distat *d*, gratia orationis properassem, quam etiam basilicam vulgus sanctam Quintili-
e nam [3] hactenus vocitant *e*, inde regressus jam vesperescente die, eum defunctum reperi; et quoniam jam vespere erat, minime ea die sepul-

Num. 3. — [1] *ita cod.* — [2] *cod.* fraglantes, *et sic deinceps.*

Num. 4. — [1] *cod.* qui. — [2] *cod.* Emerentisi. — [3] *cod.* Quintisinam.

tus est. Sequenti vero nocte, dum ipsum corpusculum inhumatum in cellula qua defunctus fuerat jaceret, intempesta nocte idem Augustus alium puerulum æquævum [4] suum, nomine Quintilianum, a foris per nomen voce magna vocavit. Cujus voce audita et cognita, quidam puer simplex et verax, nomine Veranianus, illico surrexit, egressusque foras ipsum Augustum in albam videre stantem promeruit. Sed pavore perterritus propius ad illum accedere non præsumpsit; cujus faciem niveo candore vidisse cum juramento testatus est. Alio vero die corpusculum ejus ex more in basilica sanctissimæ virginis dominæ meæ Eulaliæ sepulturæ est mancipatum.

ANNOTATA.

a *Domum hanc fuisse adjacentem ecclesiæ S. Eulaliæ, ita ut ex illa ad ecclesiam pateret aditus, eamque deputatam fuisse habitationi clericorum ecclesiæ inservientium, facille constat tum ex multis aliis similibus exemplis, tum hoc loco ex contextu, ubi paulo inferius ait scriptor se circa mediam noctem, brevi intervallo temporis inter celebratas vigilias et officium matutinum usum esse ut Augustum ægrotantem inviseret. Linea sequente designatur nomine* cellæ, *nisi hoc nomine, intelligere velis* conclave *de quo concilium Toletanum IV* (1), *ubi ipsam domum ecclesiæ* atrii *vocabulo insignitam leges. Postea vero hujusmodi domus vulgo* claustra *appellatæ sunt* (2). *De ecclesia S. Eulaliæ cfr. infra Annot.* a *ad cap. VI.*

[4] *cod.* et quævum.

(1) Cfr. Annot. seq. — (2) Cfr. Du Cange, ed. Henschel, tom. II, p. 386, col. 3 (*Claustra clericorum*); Viollet-le-Duc, *Dict. d'architecture*, v. *Cloître.*

b *Accurate itaque servabantur Emeritæ quæ de* oblatis (1) *præscripserat concilium Toletanum II anno 527 canone 1 :* De his quos voluntas parentum a primis infantiæ annis clericatus officio mancipavit statuimus observandum, ut mox cum detonsi vel monasterio electorum contraditi fuerint, in domo ecclesiæ, sub episcopali præsentia, a præposito sibi debeant erudiri (2). *Et concilium Toletanum IV anno 633, canone 24 :* Prona est omnis ætas ab adolescentia in malum : nihil enim incertius quam vita adolescentium. Ob hoc constituendum oportuit, ut si qui in clero puberes (*al.* impuberes) aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur, ut lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem magistrum doctrinæ et testem vitæ habeant (3). *Hinc vides quam antiquæ institutionis sint seminaria clericorum.*

c Abbatis *seu Patris (nam idem ex origine sonat utrumque vocabulum) titulo insignitos fuisse non solum qui monasteriis monachorum vel canonicorum regularium, sed et qui clero seculari alicujus ecclesiæ communem domum et vitam habenti prærant, et ostendit hic locus et inde confirmatur quod ad recentiora tempora nomen id inditum est primariæ dignitati in capitulis canonicorum non paucis* (4).

d *Plurimæ Emeritensis civitatis antiquæ ecclesiæ ex levitæ nostri libello nobis innotuerunt, videli-*

(1) Cfr. Du Cange, ad h. v. — (2) Aguirre, tom. III, p. 152 ; Mansi, tom. VIII, p. 784. — (3) Aguirre, tom. III, p. 371; Mansi, tom. IX, p. 626. — (4) Joan. Molanus, *De Canonicis*, lib. II, cap. 5.

cet, extra urbem, Sanctæ Mariæ seu Quintiliana hoc loco et S. Eulaliæ (1) *inferius passim nominata, Sancti Fausti* (2) *et Sanctæ Lucretiæ* (3)*; intra urbem ecclesia cathedralis Sanctæ Mariæ, quæ et Sancta Jerusalem vocabatur* (4)*, cum adjacente Sancti Joannis, in qua baptisterium erat* (11) *et basilicæ S. Cypriani et S. Laurentii* (5).

e *Ita nuncupatam censet Florez* (6) *quod in ea visebantur quinque stationes in memoriam passionis Domini : nam et antiquitus (ait) solent civitatis incolæ illuc se conferre diebus veneris tempore quadragesimæ. Videtur itaque supponere Florez eo loco erectam fuisse viam crucis ad instar Viæ Dolorosæ quam Hierosolymis signant stationes quatuordecim, quarum quinque ultimæ continentur ambitu ecclesiæ Sancti Sepulcri. Verum neque illam Viam Dolorosam Hierosolymitanam ante expeditiones crucigerorum seu ante seculum XII, ulla, credo, indicant itineraria Hierosolymitana antiquiora et multo minus* vias crucis *in Occidentali orbe erectas ulla documenta memorant. Florezianæ tamen conjecturæ aliam quæ illius vocabuli rationem reddat substituere non invenio.*

CAPUT II.

Monachus Caulinianensis apud Emeritam monasterii morti vicinus, ex ebrio et fure ad Dominum convertitur.

INCIPIT OBITUS CUJUSDAM MONACHI CAULIANENSIS.

Monachus Caulianensis gulæ et ebrietati deditus,

Fuerunt plerique idonei viri ante nos [1] satis plurimos annos clementia divina in provincia

Num. 5. — [1] *ed.* non.

(1) Cfr. infra. Annot. *a* ad cap. VI. — (2) Infra num. 17. — (3) Ibid. — (4) Num. 19. — (5) Ibid. — (6) Num. 20. — (13) *Esp. Sagr.*, tom. XIII, p. 241.

Lusitaniæ clementer fore [2], qui ferunt gestum Salvatoris nostri miraculum dum in monte [3], cui
a Coloniana [4] vocabulum est *a*, quod ab Emerita urbe haud procul situm fere millibus octo distat, reverentissimus vir piæ memoriæ Renovatus abba præesset, postque etiam Emeretensis urbis pontifex extitit mirificus *b*, atque sagaci solicitudine, utpote vir perspicax et nimium acris ingenii multumque in omni disciplina ac timore Dei strenuissimus, cunctos illic commorantes monachos sedule per bonam conversationem et sancti operis exempla ad supernam patriam provocaret, cunctusque grex pastorem præeuntem arctis semitis callibusque prosequeretur cœlicis, lupus vorax unam ei toto adnisu conatus est ore mordaci laniari oviculam: ita dumtaxat ut omni cœtu congregationis in Dei laudibus persistente atque regulari tramite in timore Domini degente, quidam monachus, ab eorum discrepans sanctissimo more, gastrimargiæ et ebrietati inæstimabiliter incumbens, perditioni semetipsum contradedit. Deinde ad majorem declinans interitum, furari quæque potuisset reperire cœpit. Quem dum prædictus vir Dei sæpius blande moneret, nec facile coercere valeret, iterumque [5] verborum increpationibus objurgare studuit. Sed dum nec sic ab illecebrosa edacitatis delectatione atque furti rapacitatisque intentione cessaret, hunc flagris verberare, parsimoniis afficere ergastulisque
c tradi præcepit *c*. Sed ille nihilominus pristinis perdurans piaculis, non solum quia a flagitiis minime cessabat, sed diebus quotidianis semet-

[2] *ita cod.* — [3] *ed.* monasterio. — [4] *ed.* Cauliana. — [5] *ed.* iterum iterumque.

ipsum polluens [6], antris averni tartaris mancipari magis magisque festinabat. Cumque eum videret tantopere [7] intentionis pergere viam, ut nec tot vicibus [8] increpatus nec totiens verberatus emendare voluisset, tactus dolore cordis intrinsecus dimisit eum abire secundum desideria cordis ejus, ac præcepit his qui præerant promptuariis monasterii ut quacumque hora vellet ingredi, quæcumque in cellariis optima, quæcumque dulcia reperisset, eum usque ad vomitum nullus edere aut bibere prohiberet; etiamsi aliquid asportare et abscondere [9] ex more vellet, liberam potestatem haberet, ut plenius dignosceretur, postquam gutturi ac ventri satisfecisset, quidnam postmodum esset acturus. Ille videlicet, juxta præceptum claustra reserata reperiens [10], opulentissimi, ut fertur, monasterii cellaria clam opima [11] penetrabat, custodibus tamen eminus circumquaque obsitus, callida dissimulatione cernentibus, ignorante illo, ac præstolantibus quidnam ageret; quæque dulcia aut suavia esu potuque reperisset, eo usque passim vorabat bibebatque quousque mente perdita vix ambulare valebat. Post hæc fercula diversa furtim subripiens, etiam vasa vinaria, quæ usitato nomine gillones [12] *d* aut flascones *e* appellantur auferebat et in hortum contiguum monasterii inter arbusta frondosa aut arundineta condensa in loco abditissimo occulebat. Tum deinde cibo jam nimio crapulatus temulentiaque [13] poculorum satiatus [14], sibimet accubitum sternebat; et

d

e

[6] *ed.* pollicens. — [7] *ed. add.* pessimæ. — [8] *ed.* viribus. — [9] *ed.* abscindere. — [10] *ed.* aperiens. — [11] *cod.* operi. — [12] *ed.* guillones. — [13] *cod.* tumulentiaque. — [14] *cod.* sautiatus.

apponens quæ furaverat, quamvis jam non delectaretur et nimium onusto ventre ructaret [15], tamen adhuc edere et bibere cupiebat. Sed dum gravato perquam alvo langueret potius quam manducaret, illico occurrente somno obdormiebat. Tum deinde venientes canes, quæque portaverat comedebant. Custodes itaque e regione intuentes, vascula quæ detulerat, dormiente illo ad cellaria revocabant. Dum hæc multa per temporum spatia peragerentur, et nullus eum jam aliquando emendari crederet, hinc exemptum [16] pastor et salvator bonus de ore leonis eum abstraxit.

mirabiliter convertitur et sancte moritur; ejus corpus post multos annos integrum reperitur.

6. Accidit namque ut die quadam more solito primo diluculo de cellario temulentus [1] exiret: quem ut viderunt ebrium pueri parvuli, qui sub pedagogorum disciplinam in scholis literis studebant *f*, hac protinus voce exclamaverunt: *Emenda te, crudelis, emenda te aliquando. Considera judicium terribile Dei. Considera tremendi ejus examinis metuendam sententiam. Hic considera formidandam atque horrendam ejus judicii ultricem severitatem. Considera etiam annos ætatis tuæ, et sic tandem mores commuta in melius et vel uno die ante mortem tuam corrige vitam tuam, quia nobis infantibus quæ tu agis non licet agi, quanto magis tibi qui jam ætate plenus esse cerneris.* Cumque hoc audisset, pudore nimio coopertus erubuit, statimque compunctus est, et ejulato magno flens, cum lacrymis elevans oculos suos ad cœlum dixit: *Domine Jesu Christe, salvator animarum, qui non vis mortem peccatorum, sed ut revertantur ab ini-*

f

[15] *cod.* ruptuaret. — [16] *ed.* hoc exemplo.
Num. 6. — [1] *cod.* tumulentus.

quitate et vivant, te precor ut corrigas me et auferas istud ignominiosum opprobrium de facie mea; aut certe, si tibi placet, jam tolle me de hac miserabili vita, ut amplius improperium a facie mea [2] *non audiam.* Quem statim divina pietas exaudire non distulit, sed de præsenti in eodem loco dolore percutiens vi febrium æstuare fecit. Nimirum dexteræ Excelsi immutatio in tantum eum commutavit in melius ut abhorrens omnes carnales delicias, flagranti animo pœnitentiæ remedium mox appeteret, corporis videlicet cruorisque dominici sacramentum inhianter desideraret. Sed dum ante fatus almus pater putaret eum phrenetica aut profana mente id flagitare, pœnitentiam plenariam dare distulit, sed tantumdem viaticam gratiam impertivit; ac tribus diebus totidemque noctibus lacrymis et confessione mirifica satisfecit. Tertio post hæc die migraturus e corpore et valefaciens cunctis fratribus, sic ait : *Cognoscite quia omnia delicta mihi dimissa sunt : et ecce præ foribus sanctissimi apostoli Petrus et Paulus, necnon et beatus Laurentius archidiaconus et martyr, cum innumerabili turba candidatorum me expectant, cum quibus ad Dominum pergere debeam.* Et hæc dicens migravit e corpore. Corpusculum vero ejus ex more sepulturæ est traditum. Post quindecim vero aut eo amplius annos, memorabilis amnis Ana *g*, nimium excrescens ripasque alvei sui supergrediens, fluenta liquoris late adsparsit et ruinas ædium per villulas vicinas litori suo multas fecit; similiter et Caulianensis monasterii cellas evertit. Quas dum monachi restaurare voluissent, contigit ut dum

g

[2] *ed.* impr. faciei meæ.

fundamenta construunt in cellula qua supra dictus jacebat, ipsum sepulcrum aperirent; sed mox inde nectareus odor erupit ; ipse vero integer et incorruptus repertus est ac si hora eadem fuisset humatus, ut nec vestimenta ejus nec capilli ex aliqua parte cernerentur fuisse corrupti.

ANNOTATA.

a *Si nonnullis recentioribus creditur, nomen* Caulianæ *inde derivatum est quod locus ubi situm erat monasterium a Romanis nuncuparetur* Caulæ Anæ, *i. e. Caulæ juxta Anam fluvium* (1), *quod illum incolebant pastores ; Gothis vero contracto vocabulo* Cauliana *dictus fuerit, Mauris vero* Cubillana, *quod nomen retinuit usque ad recentius ævum* (2) : *quippe seculo decimo septimo visebantur ibidem (ad octo scilicet millia passuum ab urbe Emeritensi, juxta Guadianam fluvium) ruinæ monasterii cujusdam prope oratorium quod dicebatur S. Mariæ de Cubillana, celebri Ordini militari S. Jacobi subjectum* (3). *Porro monasterii illius Caulianensis nulla alia memoria habetur præter hanc narrationem Emeritensis levitæ, et libellum supplicem cujusdam Tarræ, Caulianensis monachi, ad Reccaredum regem datum, quo se innocentem affirmat criminis propter quod e monasterio expulsus fuerat* (4), *Prolata est præterea charta donationis per testamentum factæ a nobili viro Fua seu Evua Roupino ecclesiæ S. Mariæ de Na-*

(1) Cfr. infra Annot. *g*. — (2) Leão de S. Thomas, *Benedictina Lusitana*, p. 429. — (3) Ibid. — (4) Ed. ap. Florez, *Esp.Sagr.* tom. XIII, p. 414 (append. IV).

zareth in Lusitania, ubi sermo est de quadam imagine Virginis Deiparæ a Roderico rege post cladem suam accepta in monasterio Caulianensi et ab eodem ad montem Seanum allata. Chartam hanc a se in archivo Alcohacensi repertam affirmavit et suæ Monarchiæ Lusitanæ, *lib. VII, cap. 4, inseruit Bernardus Brito* (1), *sed magis suspecta est hæc auctoritas quam ut, deficientibus aliis documentis, illi fides habeatur. Monasterium Caulianense post invasionem Maurorum a monachis derelictum et mox collapsum facile conjicere licet. Utrum Benedictini an Eremitæ S. Augustini illud incoluerint, irrito conatu disputarunt singulorum horum Ordinum scriptores* (2) ; *neutris enim alicujus roboris argumenta suppetunt.*

b *Cfr. infra n. 50.*

c *De disciplina pœnitentiali apud veteres monachos cfr. J. Gregory Smith in* Dictionary of christian antiquities, *edd. W. Smith et S. Cheetham, tom. I, p. 567-568.*

d *Cfr. Du Cange,* Gloss. inf. lat. *ad v.* gillo. *Sed nota unum exemplum afferri, ubi hæc vox scripta sit hac forma* guillo, *ex Emeritensi scilicet nostro secundum editiones superiores. Jam vero in codice vetustiore S. Æmiliani non legitur* guillones, *sed* gillones.

e *Cfr. Du Cange, v.* flasca.

f *De florente in Hispania sub Wisigothorum imperio litterarum studio cfr. Bourret,* L'école chrétienne de Séville ; *Smith,* Dictionary of christian antiquities, *tom. II, p. 1854.*

(1) Inde cit. apud Th. Tamayum in nota ad h. l. (P. L., tom. LXXX, p. 123, not. *a*). — (2) Cfr. *Benedictina Lusitana*, l. c.; Torelli, *Secoli Agostiniani*, tom. II, p. 420.

g *Videtur auctor noster præ oculis habuisse Prudentium in hymno de S. Eulalia canentem :*

Nunc locus Emerita est tumulo
Clara colonia Vettoniæ
Quam MEMORABILIS AMNIS ANA
Præterit....

Hodie fluvius ille retento antiquo nomine, Arabibus Janâ, *et præmissa voce arabica* ouad, *quæ fluvium sonat (unde et qui antiquo nomine* Bætis, *jamdudum ab Arabibus appellatus est* Ouad-al-québir *seu* Guadalquivir, *id est* fluvius magnus) (1), Guadiana *dicitur.*

CAPUT III.

Nunctus, abbas Africanus, Emeritam veniens a sceleratis est occisus, qui mox a dæmone correpti.

a INCIPIT OBITUS CUJUSDAM ABBATIS NANCTI *a*.

S. Nanctus abbas, modestia insignis,

b

Dum novella narrare studemus, prisca majorum gesta omiseramus. Narrant itaque plurimi ante multa jam curricula annorum, temporibus Leuvigildi *b*, Visegothorum regis, ab Africanis regionibus in provinciam Lusitaniæ Nanctum [1] nomine advenisse abbatem : qui dum aliquandiu ibidem [degisset] [2], sanctissimæ Eulaliæ virginis basilicam [in qua ejus sacratissimum corpusculum requiescit] [3] desideranter accessit. Sed, ut fertur, per omnia aspectum mulierum veluti vipereum vitabat morsum, non quia aspernabatur sexum, sed ex contemplata specie tentationis metuebat incurrere vitium : ita etenim ut quocumque loco

Num. 7. — [1] *ed.* Nunctum. — [2] *om. cod.* — [3] (basilicam-requiescit) *om. cod.*

(1) Freytag, *Lexicon Arabico-latinum*, tom. IV, p. 452.

pergebat, unum monachum ante se et alium post se eminus gradi præcipiebat, ne eum quacumque occasione mulier videret. Qui, ut supra diximus, cum ad basilicam sanctæ Eulaliæ virginis et martyris venisset, reverentissimum virum Redemptum diaconum *c*, qui ibidem præerat, multis precibus exoravit ut quando ad orationem nocturno tempore in ecclesiam de cella procederet, ita custodias poneret ut eum nulla femina penitus videret. Sed dum aliquos dies in eamdem sanctam ecclesiam moras fecisset, quædam nobilissima et sanctissima vidua, nomine Eusebia, omni desiderio eum videre cupiebat; sed ille nullatenus se ab ea videri patiebatur. Dum vero ad eum sæpius diversi rogarent ut eam videre dignaretur, et ille nullo modo consentiret, at illa, assumpto consilio, supra dictum Redemptum diaconem deprecabat ut explicitis matutinis laudibus, dum ille de ecclesia ad cellulam reverteretur, illa stante in abdito loco, circa eumdem sanctissimum virum lumen cereorum clarissimum fieri præciperet ut saltem a longe eum videre mereretur : quod factum est. At ubi ignorante illo femineus eum attigit aspectus, ita cum gemitu magno sese in terra prostravit ac si magni lapidis ictu graviter fuisset percussus. Mox etiam ipsi diacono dicere cœpit : *Indulgeat tibi Dominus, frater; quid est quod fecisti?* Post hæc denique statim inde egressus ad eremi loca paucis cum fratribus pervenit, ibique sibi vilissimum habitaculum construxit.

necatur a rusticis, qui deinde, a dæmonibus correpti,

8. Sed dum crebris illic virtutibus coruscaret, recurrente opinione ad auditum Leuvigildi principis pervenit. Qui quamlibet esset arrianus, tamen ut se ejus precibus Domino commendaret, eidem

misere pereunt.

viro auctoritate conscripta de quodam principum locum [1] direxit, ut alimenta aut indumenta exinde cum suis fratribus haberet ; quod vir Dei omnino accipere recusavit. Sed dum ille renueret, et is qui a rege directus ad eum venerat diceret : *Oblationem filii tui despicere non debes,* tandem ipso compellente suscepit. Post aliquos vero dies, homines habitantes in eodem loco cœperunt ad invicem dicere : *Eamus, et videamus qualis iste est dominus noster cui dati sumus.* Cumque fuissent, et vidissent eum veste sordidum, crine [2] deformem, contemnentes eum dixerunt mutuo : *Melius est nobis mori, quam tali domino servire.* Ac deinde post aliquantos dies cum vir Dei sanctus in sylvis paucis ovibus depascendis processisset, reperientes eum solum, fractis cervicibus necaverunt. Post non longum vero temporum intervallum ipsi homicidæ comprehensi et Leovegildo regi in vinculis sunt præsentati ; cui dictum est ipsos esse qui servum Dei interemissent. Ille autem, quamvis non rectæ fidei esset, recte tamen promulgavit sententiam dicens : *Absolvite eos a vinculis et sinite abire ; et si vere servum Dei occiderunt, sine nostra ultione ulciscatur Deus mortem servi sui.* At ubi dictum est istud, et illi absoluti sunt, statim eos dæmones corripuerunt [3] et plures dies afflixerunt. quousque crudeli morte animas e corporibus excusserunt. Deo gratias.

Num. 8. — [1] (pr. l.) *ed.* præcipuo loco fisci. — [2] *ed.* habituque. — [3] *cod.* corruperunt.

ANNOTATA.

a *Sancti viri nomen ex solo hoc libello novimus, unde ejus Acta edidit et commentario prævio ac notis illustravit collega noster Benjaminus Bossue* (1).

b *Seu* Liuvigildi, *ut legitur in inscriptione coæva apud Hispalim reperta* (2). *Regnavit autem Leovigildus, secundum Joannem Biclarensem, ab anno III Justini imperatoris usque ad annum IV Mauritii* (3) *id est ab anno ævi christiani 568 vel 569 usque ad annum 585 vel 586.*

c *De Redempto diacono cfr. infra Annot.* e *ad cap.* IX.

[PARS POSTERIOR.]

CAPUT IV.

Paulus medicus, natione græcus, fit episcopus Emeritensis et mulierem ex partu laborantem sanat.

INCIPIT OBITUS VEL MIRACULA SANCTORUM EPISCOPORUM EMERETENSIUM.

Prologus.

Omittentes phaleratas verborum pompas et prætermittentes[1] garrulas facundiæ spumas, nunc etiam ea quæ omnibus modis vera sunt simpliciter[2] veraciterque narramus. Nam si ea quæ luce clariora esse noscuntur obscuris sermonibus involvere voluerimus, audientium animos non in-

Prol. — [1] *cod.* premittentes. — [2] *cod.* simplicibus simpliciter.

(1) Ad diem 22 Oct., tom. IX, p 596 sqq.— (2) Æm. Hübner, *Inscriptiones Hispaniæ christianæ*, p. 22, n. 76. — (3) P. L., tom. LXXII, pp. 863, 868.

struimus, sed fatigamus; quia cum multorum imperitorum minus intelligit sensus, fatigatur auditus. Et ideo, sicut superius polliciti sumus *a*, simpliciter sanctorum patrum olim gesta miracula, sicuti relatu multorum ad nos perlata sunt, intimamus.

a

Paulus, medicus græcus, Emeritensis episcopus consecratur.

9. Referunt multi sanctum virum nomine Paulum, natione græcum, arte medicum, de Orientis partibus in Emeretensem urbem advenisse *b*. Qui cum multo tempore ibidem degens sanctitate et virtutibus multis polleret, et humilitate atque benignitate cunctos superaret, ei a Domino collatum est ut prædictæ civitatis promereretur pontificatum *c*. At ubi eligente Deo ordinatus est episcopus, omnes statim Deus conturbationum procellas, quæ eamdem ecclesiam tempore prædecessoris sui *d* conturbaverant, abstulit et nimiam tranquillitatem ecclesiæ suæ ejus precibus condonavit.

b

c

d

Matronam, ob fetum in utero mortuum ad extrema redactam,

10. Qui dum pacifice ac benigne, favente Deo, cunctis civibus suis præesset et cunctorum affectibus dulcifluum sacri pectoris sui exhiberet affectum [1], contigit cujusdam primarii civitatis ex genere senatorum nobilissimi viri ægrotasse matronam [2], quæ et ipsa illustri stemmate [3] progenita nobilem trahebat prosapiem; quæ cum [nuper] [4] nupta in utero accepisset, ipse infantulus in ventre collisus est. Cui dum multi medici diversa adhiberent, et nullum remedium medelæ sentiret, sed in gravi discrimine posita quotidie morti propinquaret, supra dictus illustris vir ejus, eo quod illi nihil charius esset conjuge quam no-

Num. 10. — [1] *ed.* effectum. — [2] *cod.* matrona. — [3] *cod.* stigmate. — [4] *om. cod.*

viter conjugii gratia sortitus fuerat, contemptis universis medicis, spe recuperandæ salutis ad eundem sanctum virum cucurrit, et provolutus pedibus ejus cum lacrymis exoravit ut, quia Dei servus erat, orationibus suis Dominum pro ejus matronæ salute precaretur, aut certe quia medicus esset, non duceret indignum manu sua ægrotæ gratiam præbere medendi. Sed vir Domini protinus respondit, dicens: *Mihi quod hortaris facere non licet, quia etsi indignus, sacerdos Domini sum, et sacrificium manibus meis offero Domino; et ideo non possum quod dicis implere, ne postmodum pollutas sacris altaribus manus inferam et divinæ pietatis mox furorem incurram.* Et adjecit: *Ibimus,* inquit, *in nomine Domini. Visitabimus* [5] *eam, et dabimus medicos ecclesiæ, qui illi adhibeant medicinam, et in quantum scimus ostendemus* [6] *qualiter curam faciant. Nos tamen facere manu propria non possumus.* Ille vero sciens quia nullius [7] alterius medici cura valeret et quia jam uxor sua pene mortua esset, cœpit cum fletu magno obnixe flagitare ut nullum illuc [8] dirigeret, sed ipse per se iret et quod sciebat manu propria impenderet. Sed dum ille non annueret neque penitus consentiret, universi fratres coram positi et ipsi eum cum lacrymis rogaverunt ut iret. At ille ait: *Novi quod multa miseratio sit Domini, et credo, dum fuero, quod et infirmæ* [9] *pristinam reformet salutem, et mihi statim concedat veniam propter meam præsumptionem; sed homines malos hanc mihi causam objicere in postmodum omnino non dubito* [10]. Cui

[5] *cod.* visitamus, *et inferius* damus. — [6] *cod.* ostendimus. — [7] *cod.* nulli. — [8] *cod.* illic. — [9] *cod.* infirmo. — [10] *cod.* dubitabo.

cum omnes fratres sui responderent: *Nullus e nobis propterea aliquid dicturus est; sed perge, domine, et omni celeritate age illud quod mercedi tuæ* e *proficiet.*

e

periculo liberat et ab ea ac viro ejus multas divitias accipit.

11. Tandem eorum precibus compulsus, proficisci pollicitus est, ita dumtaxat ut prius Domini exquireret voluntatem, ne temere incedens facile ageret quod [1] difficile multatus Dei judicio ad veniam rediret *f*. Illico namque basilicam sanctissimæ virginis Eulaliæ petiit, ibique prostratus pavimento per totum diem incubuit, atque in oratione indefessus perseverans sequentem continuavit et noctem. Qui mox inibi oraculo divino est commonitus, statimque consurgens ad mulieris ægræ domum incunctanter perrexit ac festinus properavit, orationem fudit, manus in nomine Domini super infirmam imposuit, in spe Dei mira subtilitate incisionem subtilissimam [2] subtili cum ferramento fecit, atque ipsum infantulum jam putridum membratim compadiatimque *g* abstraxit; mulierem vero, jam pene mortuam ac semivivam, adnitente Deo viro suo confestim incolumem reddidit. Cui et præcepit ut ultra virum non cognosceret: quocumque enim tempore coitum virilem cognovisset [3], mox ei deteriora adfutura [4] essent discrimina. Sed illi nihilominus pedibus ejus provoluti, gratias retulerunt, et omnia quæ vir Dei præceperat in omnibus se servaturos promiserunt, imprecantes Dominum ut, si non custodirent, pejora illis postmodum advenirent. Facta namque est in domo illa inæstimabilis lætitia immensumque gaudium; atque universi in Dei laudi-

f

g

Num. 11. — [1] *ed.* pro quo. — [2] *cod.* incisione subtilissima. — [3] *ed.* agnosceret. — [4] *cod.* ad futuri.

bus acclamantes, orantes tripudiantesque dicebant quod vere misisset Dominus angelum suum qui illis [5] misertus fuisset. Tum deinde fecerunt de rebus suis talem conscriptionem ut de præsenti sanctus vir medietatem ex omnibus quæ habebant acciperet, alia vero medietas post eorum obitum integra et intemerata ad ejus pertineret ditionem : tanta namque illis inerat copia rerum ut nullus senatorum in provincia Lusitaniæ illis reperiretur locupletior. Quod ille prorsus recusavit ac renuit noluitque accipere ; sed illis obsecrantibus ac nimium importune offerentibus, et sic tandem coactus est suscipere, quod accipiens non tantum propriis usibus quantum egentium præcepit deservire necessitatibus. Illi autem a quibus ei oblatum est, perseverantes cum timore Dei in castitate, post non multo temporis intervallo ad supernam patriam vocatione divina adsciti sunt. Quibus defunctis, omne eorum patrimonium sanctissimus Paulus episcopus accipere promeruit [6] ; et qui peregrinus nihilque habens advenerat, factus est cunctis potentibus potentior, in tantum ut omnis facultas ecclesiæ ad comparationem bonorum illius pro nihilo putaretur [7].

ANNOTATA.

a *In præfatione ad Partem Priorem* (1). *Et hinc confirmatur illam præfationem non ad solum primum miraculum, sed ad totum spectare opusculum.*

b *Unde advenerit et qua occasione, distinctius*

[5] *cod.* illi. — [6] *cod.* promeruerit. — [7] *cod.* putarentur.

(1) Supra pag. 32.

non indicatur nec aliunde notum est. Venisse supponi potest, sicut postea filius sororis ejus (1), *cum negotiatoribus qui ex Oriente in Hispaniam navigare consueverant.*

c *Florez* (2) *ordinationem* Pauli *anno circiter 530 illigat, obitum vero anno 560, sed nulla alia ratione ductus nisi quod, quum* Masona *ante annum 573 sedem Emeritensem obtinuerit* (3), *videntur Florezio ea quæ de* Fideli, *ejus decessore, ab anonymo nostro narrantur concludi posse intra decennium, ea vero quæ de Paulo spatium triginta annorum exigere : unde hunc ab anno circiter 530 ad annum 560,* Fidelem *ab anno 560 ad 571 sedisse statuit. Certe aliunde ista confirmare non licet : nulla enim utriusque memoria præterquam apud Emeritensem leritam prostat, neque ulla omnino eorum qui Emeritensem ecclesiam rexerunt inde ab anno 445, quo anno in Chronico Idatii* (4) *mentio fit Antonii (al. Antonini), Emeritensis episcopi.*

d *Hujus, ut modo monuimus, etiam nomen ignoratur, nec quidquam de iis turbis aliunde notum est.*

e *Secundum Thomam Tamayum, hispanismus purus putus* mercedi tuæ *est; vulgaris fere omnes compellandi increbruit consuetudo apud Hispanos notissima* vuestra merced, *qua urbanitate nimium blandiente enatæ sunt ceteræ compellationes, quæ vulgo notæ. Qui tantam urbanitatem ea ætate apud Hispanos supponere noluerit, facile explicabit hæc verba per sensum communem :* illud unde

(1) Cfr. infra num. 12. — (2) *Esp. Sagr.*, tom. XIII, p. 175, n. 86. — (3) Cfr. supra Comment. prævv., num. 15. — (4) P. L., tom. LXXIV, p. 723.

apud Deum mercedem recipies, *utpote opus fraternæ caritatis.*

f *Ex tota hac narratione apparet medio seculo sexto jam vetitum fuisse sacerdotibus ne medicinæ aut saltem chirurgiæ artem exercerent, atque hinc corrigenda sententia PP. Matagne et Remigii De Buck qui, Benedictum XIV et Thomassinum secuti, illam prohibitionem non antiquiorem seculo XII existimarunt* (1).

g Copidiatim, *id est per frusta, ex voce græca* κόπαιον *seu* κοπάδιον, *quæ* frustum *significat* (2). *Perperam itaque Th. Tamayus* compendiatim *hic legendum censuit.*

CAPUT V.

Fidelis, natione græcus, filius sonoris Pauli episcopi Emeritensis, viventi avunculo subrogatur in episcopatu.

Fidelis *puer, ab Oriente Emeritam veniens, a* S. Paulo *avunculo suo agnoscitur et retinetur.*

Denique cum plurimis per annis felici tempore [1] feliciter sua cum plebe frueret, et jucunde Deo vivens plenus semper virtutibus floreret, accidit die quadam de regione qua ipse oriundus extiterat negotiatores græcos in navibus de Orientibus [2] advenisse atque Hispaniæ littora contigisse ; cumque in Emeretensem civitatem pervenissent, ex more episcopo præbuerunt occursum *a*. Qui cum benigne ab eo fuissent recepti ac de atrio ejus *b* egredientes in domum in qua hospitabantur fuissent regressi, sequenti die ad

a

b

Num. 12. — [1] *cod.* tempora. — [2] *ed.* Orientis partibus.

(6) *Act. SS.*, tom. XIII Oct., p. 256, num. 9. — (2) Henr. Stephanus, *Thes.*, ad h. v.

eum munusculum miserunt pro gratiarum actione, deferente puero nomine Fideli *c*, qui cum eis mercedis causa percipiendæ de regione eorum conductus advenerat. Cumque ejus fuisset præsentatus obtutibus, et quæ grato animo directa detulerat, gratanter vir sanctus suscepisset, eum cœpit singillatim sciscitari quo vocaretur nomine, de qua provincia vel de qua civitate esset. Cum ergo ille nomen suum diceret et civitatem suam nominaret, videns adolescentem bonæ indolis, cuncta eum per ordinem interrogavit et nomina parentum requisivit. At ille consequenter secundum interrogationem patriam, civitatem, vicum, nomina parentum simpliciter manifestavit. Hæc eo dicente, cognovit nomen sororis suæ; qui statim exiliens de sede sua in conspectu omnium amplexibus ejus incubuit. Commota quippe fuerant super illum viscera ejus, atque irruens super collum ejus et diutissime exosculans, præ gaudio ubertim flevit. Statim supra nominatos negotiatores arcessire præcepit; quibus ait : *Puerum mihi istum concedite, et quidquid vultis a me postulate.* At illi responderunt : *Hoc facere minime possumus, quia ingenuus est et a parentibus eum pro nostro solatio conductum accepimus; sine isto ad parentes suos nullatenus remeare possumus, nec facies eorum ultra videndi habebimus licentiam, si hunc in tam longinquam regionem dimiserimus.* E contra ille ait : *Compertum vobis sit quia, si istum mihi non dimittitis, vos in patriam vestram minime revertitis. Sed accipite a me pecuniam copiosam, et abite securi pergentes cum pace.* Hæc illi audientes, nec amplius tantæ potestati obsistere valentes, aiunt ad eum : *Dic nobis, domine, quid causa est*

ut hominem tibi incognitum tanto amore digneris diligere? Ille vero respondit proximum suum esse sibique affinitate valde vicinum. Et addidit: *Abite in nomine Domini absque aliqua hæsitatione, renunciantes sorori meæ quia filium ejus ob consolationem captivitatis meæ penes me retinui.* Qui diversa per eos munera mittens sorori, ipsis quoque nautis multa largitus est dona; ac sic ditati ejus muneribus, regressi sunt in patriam suam cum gaudio magno.

Ab eodem diaconus ordinatur et postea consecratur episcopus. S. Paulus in solitudinem secedens, pie moritur.

13. Quibus redeuntibus, statim præfatum adolescentem tondere præcepit ac Deo omnipotenti serviturum obtulit, et veluti alterum Samuelem in templo Domini diebus ac noctibus strenue erudivit, ita ut infra paucorum curricula annorum omne officium ecclesiasticum omnemque bibliothecam scripturarum divinarum perfectissime docuit. Deinde vero per singulos gradus eum producens, diaconem ordinavit. Qui mox effectus habitaculum Spiritus sancti, omnibus virtutibus ita est irradiatus ut sanctitate, charitate, patientia et humilitate universum transcenderet clerum. Sic nimirum Deo et hominibus se carum affabilemque præbuit ut unum illum putarent ex numero [1] angelorum. Interea dum plurimis annis Domino irreprehensibiliter deserviret, et supra nominato nutritori suo dulci obsequio in omnibus deserviret ac senectutem ejus absque aliqua offensione suaviter oblectaret, idem supra nominatus beatissimus pater, exactis jam multis curriculis annorum atque ætate decrepita in senium vergens, hunc sibi successorem elegit, moxque etiam in loco suo se vivente ordinavit, et omnium bono-

Num. 13. — [1] *cod.* en numerum.

rum suorum hæredem instituit: ita etenim testamentaria sanctione decernens ut, si eum clerus Emeretensis habere vellet pontificem, omnes res quas illi contulerat, post obitum suum supradictæ ecclesiæ derelinqueret; sin alias, haberet liberum arbitrium quidquid voluisset de præfatis rebus
d decernere vel judicare *d*. Hoc sane decretum vir sanctus revelante sibi Spiritu sancto promulgavit, prophetiæ gratia præscius non defuturas eidem viro multorum [2] invidias hominum pravorum, qui eum canino more circumquaque in postmodum oblatrarent atque invidiæ facibus succensi mordaciter laniarent. Interim dum auspice Deo constituisset eum antistitem, ita ei adstare et deservire cupiebat sicut diaconatus tempore ministrare consueverat, ita ut exuens sibi casulam, more ministri coram eo adsistens servitium omne persolveret. Quem ille id agere prohibuit, et ut jam deinceps auctoritatem pontificatus sui constanter teneret [3] admonuit atque ut fratrum suorum potius curam ageret imperavit. Ipse vero sanctissimus senex mox derelinquens atrium et omnia privilegia honoris sui, sese ad basilicam sanctæ Eulaliæ in cellulam vilissimam contulit. Qui dum aliquandiu ibidem positus a seculi hujus procellis absolutus et in multa quiete constitutus, in cilicio et cinere cubans pro totius mundi piaculis Dominum deprecaretur, migravit e corpore.

[2] *post hanc vocem legitur in codice verbum* obsistere, *sed lineola subter ducta quæ delendum significet.* — [3] *cod.* tenere.

ANNOTATA.

a *Credibile est id genus officii præstari solitum fuisse episcopo, non ratione religionis, sed quod præesset curiæ civili : hoc quippe munere fungebantur passim episcopi in novellis barbarorum regnis* (1).

b *Voce illa apud nostrum designari palatium episcopale, non, ut putabat Moreno, porticum ecclesiæ, ex hoc et aliis hujus opusculi locis* (2) *facile constat. Indifferenter autem dicitur* atrium ecclesiæ *et* atrium episcopi (3). *Neque abhorret usus vocis a sensu quem illi attribuit Isidorus Hispalensis :* Atrium, *inquiens,* magna ædes est sive amplior et spatiosa domus; et dictum est atrium eo quod adduntur ei tres porticus extrinsecus (4).

c *Certe hoc nomine latino non vocitabatur in Oriente; sed postea, ubi apud avunculum suum morabatur, illud assumpsisse credendus est.*

d *Hæc ratio agendi, qua* Paulus *sua auctoritate* Fidelem *episcopum constituerit, adjecta conditione illa circa hæreditatem suam, difficile videtur a culpa saltem materiali et etiam ab aliqua specie simoniæ excusari posse.*

(1) G. Waitz, *Deutsche Verfassungsgesch.*, tom. II, pp. 331, 389, 390. — (2) Cfr. numm. 13 extr., 15, 19, 23, 24, 28, 43, 47. — (3) Numm. 38, 89. — (4) *Etymol.*, lib. V, cap. 3, n. 4 (P. L., tom. LXXXII, p. 541).

CAPUT VI.

Fidelis episcopus possessiones suas relinquit ecclesiæ sanctæ Eulaliæ, clericos a ruinæ periculo liberat.

S. Fideli *nonnulli adversantur primo, sed mox reconciliantur.*

Post cujus discessum, quidam pestiferi homines, juxta id quod Dei prædixerat, verbis malignis contra beatissimum Fidelem musitare cœperunt, ut eum de loco quo constitutus fuerat, per quacumque occasione pellerent. Quod cum ille perpendisset, et se una cum rebus suis ab eorum insectatione separare voluisset, comperto illi quod [si] [1] ille sublatis de jure ecclesiæ prædiis suis se ab eis separaret, illis omnino nihil remaneret, plus inviti licet quam sponte [se] [2] pedibus ejus prostraverunt ac ne eos desereret multis precibus flagitaverunt. Quibus ille non usquequaque repugnans præbuit adsensum, ut et curam regiminis gereret et in postmodum omne patrimonium suum ecclesiæ derelinqueret. Quod ita factum est ; ut [3] eo tempore tantum ecclesia illa locupletata est ut illi in Hispaniæ finibus nulla ecclesia esset opulentior. Atque ita, Domino cooperante, confirmata est in eum cunctorum pura et sincera dilectio, in tantum ut omnes, uno eodemque animo amore immensæ charitatis flagrantes, erga eum immenso igni sancti ardoris æstuarent, et unum cor et labium cum eo effecti nullo penitus modo ab alterna dilectione discidio intercurrente discreparent.

Episcopale palatium corruit, nemine læso.

15. Quoniam tanti vatis memoravimus nomen, operæ pretium nobis videtur esse perspicuum [1]

Num. 14. — [1] *om. cod.* — [2] *om. cod.* — [3] *ed.* et ex.
Num. 15. — [1] *cod.* prespicuum.

de ejus multis quibus crebro effulsit virtutibus quandam exiguam particulam memoriæ tradere. Quodam igitur dominico die, dum in atrium cum multis filiis ecclesiæ resideret, ut mos est, archidiaconus cum omni clero in albis ab ecclesia venientes coram eo astiterunt. Moxque ille consurgens, diaconibus ex more thuribula gestantibus atque ante eum præcedentibus, cum universis qui aderant ad ecclesiam perrexit, qualiter Deo jubente missarum solemnia celebrarent. At ubi universi cum eodem de atrio paululum fere decem graduum processerunt foris, illico ab imis fundamentis omnis repente amplissimi atrii fabrica ruit, et neminem ibi oppressit Deo jubente. Ex qua re pensandum est cujus meriti iste vir fuerit, qui ita apud Deum suis precibus obtinuerit ut prius non daretur antiquo hosti [2] potestas tantæ fabricæ perpetrare ruinam quam ipse cunctos foris eductos integro numero Deo miserante salvaret. Sed ut in tanto periculo nullus periret, ob maxime meritis sanctissimæ virginis Eulaliæ fuisse præstitum nullus ambigat. Cum vero solicite requirens invenisset quia nemo periret, in nullo penitus animum suum contristavit, sed magis gratias Domino egit, sacrificium Deo lætus obtulit, diemque ipsum jucunde Domino cum omnibus suis potitus est.

Dirutum palatium splendide restaurat Fidelis, *itemque basilicam S. Eulaliæ.*

16. Post non multum vero temporis intervallo sedis dirutæ fabricam restauravit ac pulchrius Deo opitulante patravit. Ita nimirum ipsius ædificii spatia longe lateque altis culminibus erigens, pretiosaque atria columnarum ornatibus suspendens, ac pavimentum omne vel parietes cunctos

[2] *cod.* antiqui hostis.

nitidis marmoribus [1] vestiens, miranda desuper tecta contexuit. Tum deinde miro [2] dispositionis
a modo [3] basilicam sanctissimæ virginis Eulaliæ *a* restaurans in melius, in ipso sacratissimo templo
b celsa turrium fastigia sublimi produxit in arce *b*. Hic namque vir beatus in corpore positus crebro cum [4] sanctorum catervas in choro ecclesiæ stans et psallens visus fuisse perhibetur ; et alia multa narrantur quæ scribere propter prolixitatem sui, ne fastidium legentibus præbeant, desivimus.

ANNOTATA.

a *Basilicam S. Eulaliæ, ubi sacrum ejus corpus quiescebat* (1), *laquearibus deauratis et pavimento musivo opere pulcherrime intexto insignem prædicat Prudentius in hymno de S. Eulalia* (2). *Memoravimus supra* (3) *falsam opinionem Mabillonii existimantis ecclesiam fuisse monasticam. Collegiatæ tamen formam referebat, ut patet ex iis quæ leguntur num. 1. Ecclesia S. Eulaliæ non erat cathedralis : hac scilicet prærogativa gaudebat* ecclesia sanctæ Mariæ, quæ *et* sancta Hierusalem *vocabatur* (4). *Sed et sitam fuisse extra ambitum urbis, colligere licet ex opusculi nostri capite* XVIII, *ubi* (5) *perspicue indicatur ex ecclesia S. Mariæ ad S. Eulaliæ procedentibus transeundam fuisse* portam civitatis, *et* (6) *Vacrila jubetur*

Num. 16. — [1] *cod.* parietibus. — [2] *cod.* mira. — [3] *cod.* modum. — [4] *cod.* eum cum.

(1) Cfr. supra num. 7. — (2) *Peristeph.* Hymn. III, v. 196 sqq. (P. L., tom. LX, p. 355). — (3) Comment. præv., num. 9 extr. — (4) Cfr. infra n. 19, cum Annotatione adjecta. — (5) Num. 40. — (6) Num. 43 extr.

servitii profitendi causa pergere de ecclesia sanctæ Eulaliæ usque ad atrium *(episcopale scilicet)*, quod est fundatum infra muros civitatis: *quod ultimum utique non indicasset scriptor, si ecclesia Sanctæ Eulaliæ et ipsa intra muros civitatis constitisset.*

b *Habes hoc loco testimonium disertissimum unde demonstretur turres ecclesiis impositas fuisse antequam campanæ in usu essent.* Fidelis *enim*, Masonæ *decessor, ædem S. Eulaliæ instauravit ante annum 573, quo anno* Masona *jam* clarus *habebatur* (1).

CAPUT VII.

Fidelis episcopus visus interesse sanctorum choris.

Fidelis *sanctorum choris interesse visus semel*

Die quadam puerum familiarem suum ad locum quo Caspiana vocabulum est, quod ab Emereta urbe millibus sexdecim distat, direxit, ac præcepit eum sub omni festinatione reverti. Qui cum fuisset et eodem die reverti non occurrisset, ibidem mansit. Cui in ipso noctis initio jam dormienti visum fuit gallos cantasse, statimque expergefactus caballum suum ascendit, atque festinus properans ante medium noctis ante portam ipsius civitatis quæ appellatur Porta Pontis pervenit. Qui dum ibi diutissime residens cerneret quia ante hora opportuna consurrexisset, et quia, quamvis clamasset vociferanter, nullus ei portam aperiret, visum est ei ut caballo suo pabulum herbæ paululum daret, quousque aliquis forsitan portam reseraret. Et ecce subito

(1) Cfr. supra Comment. præv., num. 15.

intempestæ noctis [hora] [1], elevans oculos suos vidit eminus globum igneum ab ecclesia sancti
a Fausti *a*, quæ ab urbe fere milliario distat, procedentem atque ad basilicam sanctæ Lucretiæ [2] *b*
b pervenientem. Qui cum tacitus contemplaret quidnam esset, nec mora, et ecce multitudo sanctorum, quibus illud lumen præibat, venientes per pontem, ad portam usque pervenerant, cum quibus etiam gradiebatur sanctissimus Fidelis. At ubi ventum est ad portam, videns supradictus puer aucta candidatorum agmina, ipsum etiam sanctum Fidelem ciclade nivea indutum in medio eorum properantem cernens, obstupuit, et exterritus atque tremebundus, præ timore factus est velut mortuus. Illis vero claustra portarum divinitus reseravit, moxque ingressi sunt civitatem. Quibus ingressis, ille consurgens atque volens post eos ingredi, sed nullatenus potuit, quia portam ita clausam sicut prius invenit. Qui cum primo diluculo aperta pervenisset ad atrium, protinus eum vir sanctus interrogavit quali hora de prædicto loco egressus fuisset. Cui ille et horam qua surrexerat et moram quam ad portam fecerat enarravit. Quem cum vir Dei interrogasset si aliquid non vidisset, et ille vidisse se fateretur, tum hunc admonuit ut quousque ipse sanctus in corpore esset, nulli referret, ne ei ad immane periculum pertineret.

et iterum; mortem prædicit illi qui rem inconsulte divulgaverat.

18. Alia quoque vice similiter eum quidam religiosus cum multitudine sanctorum quadam nocte de ecclesia sanctæ Eulaliæ egredientem et per basilicas martyrum euntem vidit; sed incaute agens multis statim indicavit. Postremo ad virum

Num. 17. — [1] *om. cod.* — [2] *cod.* Leucricie.

Dei veniens, ei quod viderat retulit. Cui ille ait : *Hoc quod vidisti, jam alicui dixisti an non?* Qui statim respondens, simpliciter professus est se dixisse. Ad hæc ille dixit : *Indulgeat tibi Deus, frater; non recte fecisti. Scio utique quia tibi in futuro judicio non reputabitur ad culpam. Interim vade, communica* [1], *et da nobis osculum valefactionis, quia iturus es. Tamen et domui tuæ sub omni festinatione dispone; aut si desideras remedium pœnitentiæ, percipe.* Qui mox accepta pœnitentia dispositaque domo sua, valefaciens cunctis, sequenti nocte migravit e corpore.

ANNOTATA.

a *Vix dubium esse potest quin iste S. Faustus fuerit celebris ille martyr Cordubensis qui colitur die 13 octobris. Hujus antiquissimæ ecclesiæ mentio fugit diligentiam Cornelii Byei nostri, ubi ad hanc diem egit de cultu SS. Fausti et sociorum ejus* (1).

b *Mire hallucinatus est hoc loco Thomas Tamayus dicens hic agi de S. Leocritia martyre Cordubensi, de qua apud Alvarum, S. Eulogii familiarem. Hæc nimirum passa est anno 859* (2). *Nullus utique hæsitationi locus fuisset Tamayo, si advertisset apud Usuardum ad diem 23 novembris signatam esse memoriam* In civitate Emerita, S. Lucretiæ virginis, *quæ in Martyrologio Romano sub Diocletiano passa fertur.*

Num. 18. — [1] (v. c.) *cod.* jube communicare.

(1) Tom. VI Oct., p. 189, num. 10 sqq. — (2) Cfr. *Act. SS.*, tom. II Martii, p. 411.

CAPUT VIII.

Fidelis episcopus, visione admonitus, bonis in pauperes distributis migrat ad Dominum.

Mira visione prænuntiatur mors sancti episcopi:

Cuidam viro religioso iterum intente ad officium ecclesiasticum recurrenti, quadam nocte dum in lecto suo intempestæ noctis [silentio] [1] sopore depressus jaceret, visum est ei quod signum ad matutinum dedissent. Qui statim consurgens omni festinatione ad ecclesiam, ne ei tempus sacri officii præteriret, accurrit [2], cursuque rapidissimo properans anhelabundus illuc pervenit. At ubi ingressus est ecclesiam sanctæ Mariæ, quæ sanctam Hierusalem nunc usque vocatur *a*, audivit voces mire modum modulationis canentium, respiciensque ad chorum vidit stantem multitudinem sanctorum. Qui nimio pavore concussus atque in tremori versus, sese in angulum basilicæ silenter contulit, atque tacite contemplans, sollicite auscultans, audivit consueto ordine omne ab eis officium esse completum. Quo expleto, paulo adhuc ante gallorum cantu cum laudibus pervenerunt ab ecclesia [3] sanctæ Mariæ ad basiliculam sancti Joannis, in qua baptisterium est, quæ nimium contigua antefatæ basilicæ, pariete tantum interposito, utræque unius tecti tegmine conteguntur *b*. Explicitisque laudibus cœperunt ad invicem dicere : *Ecce continuo hora est ut signum dari debeat : ob hoc prius necesse est ut id pro quod destinati sumus ordinemus.* Cumque

a

b

Num. 19. — [1] *om. cod.* - - [2] *cod.* occurrit. — [3] (a. e.) *cod.* ecclesiam.

hoc dixissent, apparuerunt in conspectu eorum Æthyopes [4] tetri nimiumque terribiles, quorum statura videbatur esse gigantea, nigredo perquam teterrima, ita ut ex ipso eorum torvo intuitu [5] nimiumque atro vultu palam cernenti daretur intelligi ipsos procul dubio tartareos esse ministros, quique etiam rhomphæas acutissimas suis gestabant in manibus. Quibus mox sancti dixerunt : *Sub omni celeritate pergentes ad atrium, ingredimini cellam in qua sanctus Fidelis episcopus jacet, et percutite eum vulnere gravi in corpore, ut anima ejus quantotius egrediens e corporali catena nobiscum ad Dominum nostrum Jesum Christum ad præparatam sibi possit pervenire coronam.* Qui illico jussis obtemperantes ambulaverunt, sed eum minime percutientes reversi sunt, dicentes : *In cellam ejus minime ingredi possumus, quia non dormit, sed in terra prostratus jacet et orat. Insuper tanto thymiamatis suavissimo odore cella ipsa redolet ut nitor tantæ fragrantiæ incensi, qui ab eo oblatus est Domino, nos illic penitus intrare non sinat.* Quibus denuo præceperunt, dicentes : *Ite et percutite eum, quia jussio Domini adimplenda est.* Qui cumque fuissent nec intrare potuissent, revertentes iterum dixerunt : *Oratio ejus nos omnino prohibet ingredi.* Quibus illi dixerunt : *Vacat oratio, quando venit vocatio. Sed ite et implete præceptum Domini; quod semel datum est, nequaquam transcendi potest.* At ubi tertio fuerunt, permittente Domino ingressi sunt ; tam forti scilicet manu crudeli eum percusserunt ut vocem quam emisit cum dolore gravi simulque et gemitu, hic qui in ecclesia stabat religiosus clare audivit.

[4] *cod.* eziopes. — [5] (t. i.) *cod.* turbo introitu.

ad quam is se comparat multas largiendo eleemosynas.

20. Facto vero diluculo ad sanctum episcopum accessit, et cuncta quæ viderat quæque etiam audierat ei intimavit. Cui ille ait : *Scio, fili mi, scio et mihi nullo modo latet.* Cumque hoc dixisset, et imminenti ægritudine artubus jam fatiscentibus se totum repente dissolvi sensisset, ad basilicam sanctissimæ virginis Eulaliæ se deferri præcepit. Sua ibidem in primis multis lacrymarum satisfactionibus deflevit delicta ; deinde multis captivis et egenis multam largitus est stipem ; ad ultimum redditis chirographis cunctorum debita relaxavit. Sed dum omnibus reddidisset, cautio cujusdam viduæ remanserat quæ necdum fuerat reddita, quam illa vidua expectaret ut ei redderet, sed quemadmodum muliercula, præ turbæ densitate, qua circumseptus erat, ut accederet non habebat. Quæ cum per singulos dies veniret, et locum minime reperisset, et nimium mœstificata mente anxiaret, nihilque agens mœrore afflicta ad suum hospitium remearet, ei quadam nocte sanctissimi Cyprianus et Laurentius martyres in visu adstiterunt, dicentes : *Nosti quare locum non invenis ?* At illa respondit : *Nescio.* Et illi inquiunt : *Quare per reliquas basilicas fratrum nostrorum ceterorum martyrum frequenter concurris, ad nos venire contemnis ?* Quæ statim surgens ad eorum basilicas concurrit [1], orationem cum lacrymis fudit, pro negligentia retroacti temporis veniam imploravit. Atque inde ad basilicam sanctæ Eulaliæ mox rediit, mira celeritate locum reperit, chirographum suum absque difficultate recepit, Deo et sanctis ejus immensas grates retulit, per quod non solum locum paratum invenire meruit ingre-

Num. 20. — [1] *ed.* cucurrit.

diendi, verum etiam ita sanctis Dei disponentibus gestum est ut, quando ingressa est, sanctus episcopus, cautionem ipsam manu propria tenens, præstolaret cui reformare deberet. Atque ita factum est ut illo benigne reddente atque illa cum gaudio quæ diu desideraverat recipiente, paulo post vir sanctus, præcedentibus sanctorum cœtibus, expectantibusque angelicis choris, ad ætherea regna tripudiando migraret, cœlestibusque phalangiis consertus, cum exultatione perpetua perpetim conglobari in sydereis mansionibus [2] Jesu Domino præcipiente meruerit. Corpusculum vero ejus juxta corpus sanctissimi prædecessoris sui uno eodemque sarcophago traditum, veluti in uno lectulo honorifice est tumulatum.

ANNOTATA.

a *Hoc titulo* (Sancta Jerusalem) *designari solitam fuisse ecclesiam matricem seu metropolitanam, colligi potest exemplo ecclesiarum metropolitanarum Tarraconensis et Hispalensis* (1), *quæ singulæ, sicut Emeritensis, totius cujusdam provinciæ ecclesiasticæ principales erant ; suffraganearum vero sedium cathedrales basilicæ talem titulum sibi non vindicabant. Et inde etiam constat ecclesiam Sanctæ Mariæ fuisse cathedralem sedis Emeritensis : quod et confirmatur tum ex vocabulo* ecclesiæ senioris *quo designatur inferius* (2) *(neque enim hac voce* senioris *ecclesiæ illius antiquitatem, sed secundum usum satis communem illius temporis*

[2] *cod.* mansionum.

(1) *Esp. Sagr.*, tom. IX, p. 102 et tom. V, p. 512. — (2) Num. 30.

principalitatem significari existimo, ita ut ecclesia senior *idem sonet ac* ecclesia princeps) (1); *tum ex eo quod in illa ecclesia* ex more *in paschate missam celebrabat episcopus* (2) ; *tum denique quod in eadem conventus suos habuit concilium provinciale Emeritense anno 666 congregatum, ut exordio Actorum diligenter notatum est* (3),

b *Secundum morem antiquum scilicet, ubi propter multitudinem baptizandorum in festis solemnibus paschatis et pentecostes, ecclesia particularis juxta ecclesiam principalem baptismi sacramento conferendo destinari solebat* (4).

CAPUT IX.

Masona natione Gothus, nutritus in ecclesia sanctæ Eulaliæ, succedit Fideli in episcopatu ; xenodochium et monasteria ædificat.

a INCIPIT VITA [VEL] [1] DE VIRTUTIBUS SANCTI MASONÆ *a* EPISCOPI.

S. Fideli *succedit* S. Masona,

Huic præfato almo viro ad supernam patriam transmigranti providentia divinæ pietatis subrogatus non impar omnium virtutum [2] vir orthodoxus, cui nomen erat Masona. Scilicet beatus beato, sanctus sancto, pius pio, bonus benigno, atque cunctis charismatibus refulgens rutilanti immensis virtutibus, sacerdotali ordine

Num. 21. — [1] *om. cod.* — [2] *ed. add.* gloria.

(1) Cfr. Du Cange, v. *ecclesia senior* (Ed. Henschel, tom. III, p. 6). — (2) Num. 640. — (3) Mansi, tom. XI, p. 77. — (4) Cfr. Smith, *Dictionary of christian antiquities*, v. *Baptistery*.

Masona successit Fideli. Prædecessore nimirum astrigeris civibus conserto in cœlis, successoris [3] mannæ [4] dulcedo ejusque insigne meritum cunctorum civium mœrorem lenivit [5] in terris, ut omnibus pro obitu tanti pontificis mœror non solum discuteretur, verum etiam, instar priscorum patrum Eliæ quondam et Elisæi, duplicata paracliti Spiritus gratia palam cunctis cernentibus sancti Fidelis antistitis in Masonam sanctum episcopum requievisse videretur; ut plebs sublato pastore non usquequaque tæderet afflicta languore, sed geminato gaudio congauderet, divina tribuente miseratione, dum et illum sui pro salute præmisit ad cœlos, et istum eximiæ virtutis virum suscepit gratulanter in terris.

Gothus genere, virtutibus clarus: b

22. Denique sanctus Masona antistes, nobili ortus in hoc seculo origine, sed vitæ meritis exstitit multo nobilior; genere quidem Gothus *b*, sed mente promptissima erga Deum perquam devotus atque viriliter Altissimi virtute fundatus, moribus sanctis ornatus, habituque magni decoris pulchrificatus, charitatis humilitatisque ab incunte ætate refulgenti stola circumamictus, balteo fidei fortiter circumcinctus, prudentia scilicet et justitia insigniter circumseptus, dilectione summi Dei et proximi mirifice decoratus; dilectus namque Deo [1] et hominibus, ætate [2] et gloria mirabilis, amator fratrum, multum orans pro populo, cujus nomen multis coruscando miraculis per omnem terram pertransivit. Hujus itaque temporibus morborum pestem inediæque inopiam

[3] *cod.* successores. — [4] *ed.* mansit *vel* magni. — [5] *cod.* linivit.

Num. 22. — [1] *cod.* Dei. — [2] *ed.* erat.

ab urbe Emeretensi vel omni Lusitania ejus precibus Dominus procul abegit, meritisque sacrosanctæ Eulaliæ virginis longius pepulit, tantamque salutem et omnium copiam deliciarum cuncto populo impertire dignatus est ut nullus
c unquam, quamvis inops, aliquid dehabere [3] *c* videretur aut qualibet necessitate fatigaretur, sed quemadmodum opulenti ita et inopes omnibus bonis abundarent, et quodammodo instar cœlestis gaudii universus populus in terris tanti pontificis meritum congauderet. Omnibus inerat gaudium, cunctis aderat pax, nulli aberat felicitas, in omnium corda florebat perfecta charitas, in omnium sensus pollebat tranquilla jocunditas; ita nimirum ut, devicto antiquissimo hoste ac superato veternoso dracone, nemo mœrore consternatus, nemo angustia afflictus, nemo quolibet terrore perculsus vel quolibet zelo aut invidia tactus, callidi anguis virulentis stimulis quateretur; sed perfecta charitate repleti cuncti Deo adnitente pii patris gratia jocundantes, imperterriti, sine metu vel formidine omnium, in Dei laudibus persistebant constanter. Non solum autem in omnium fidelium arcanis ejus flagrabat immensa charitas, sed etiam omnium judæorum vel gentilium mentes miro dulcedinis suæ affectu ad Christi gratiam pertrahebat. Quantus igitur qualisque fuerit, inertia nostra ad singula explicare non valet; sed quamvis maxima taceamus, extrema saltem e maximis memoremus.

qui monasteria, basilicas et xenodochium

23. Denique supradictus vir priusquam ordinaretur episcopus, in basilica sanctissimæ virginis Eulaliæ fertur cum summa diligentia advixisse,

[3] *ed.* habere *vel* avere.

construit, eximie erga pauperes sollicitus

et ibidem irreprehensibiliter multis annis Deo deservisse. Postquam vero inspirante Deo in omnium ore, oculis et animo residens, sublatus inde, ordinatus est pontifex, statim in exordio episcopatus sui monasteria multa fundavit, prædiis magnis locupletavit, basilicas plures miro opere construxit, et multas ibidem Deo animas consecravit. Deinde xenodochium fabricavit magnisque patrimoniis ditavit, constitutisque ministris vel medicis, peregrinorum et ægrotantium usibus deservire præcepit, taleque præceptum dedit, ut cunctæ urbis ambitum medici indesinenter percurrentes, quemcumque servum seu liberum, christianum sive judæum, reperissent ægrum, ulnis suis gestantes ad xenodochium deferrent, straminibus quoque lectuli nitide præparatis eumdem infirmum ibidem superponentes, cibos delicatos et nitidos eousque præparantes quousque cum Deo ægroto ipsi salutem pristinam reformarent. Et quamlibet a prædiis xenodochium collatis multis deliciarum copia pararetur, adhuc viro sancto parum esse videbatur; sed his omnibus adjiciens majora, præcepit medicis, ut sagaci sollicitudine gererent curam, ut de omnibus exeniis ab universis actuariis [1] *d* ex omni patrimonio ecclesiæ in atrium illatis medietatem acciperent, ut eisdem infirmis deferrent. *d*

et liberalis,

24. Si quis vero de civibus urbis aut rusticis de ruralibus ad atrium ob necessitatem accessisset, liquorem vini, olei vel mellis a dispensantibus poposcisset, et vas parvulum, in quo levaret, exhibuisset, et eum vir sanctus vidisset, ut erat

Num. 23. — [1] *ed.* sanctuariis.

semper obtutu gratus, jocundo vultu, mox ipsum vasculum confringi, et ut majus deferret, præcipiebat. In eleemosynis vero pauperum quantum largus exstiterit, soli Deo reservatum est nosse; tamen et de ipso quamdam particulam enarremus. Tanta illi cura erat pro omnium vita ærumnosa miserorum, ut ad basilicam sanctissimæ Eulaliæ diacono, viro venerabili, Redempto nomine *e*, qui præerat, duo millia solidos dederit, e quibus, mox ut aliquis urguente necessitate adveniret, facta cautione, quantos vellet absque aliqua mora vel difficultate acciperet, suisque angustiis consuleret *f*. Nec hoc silendum reor, quam largifluus muneribus exstiterit, quippe qui alienæ rei abstinentior, suæ largior, nec accipiendi, sed dandi magnanimitate præpollebat: avidior quidem dandæ rei quam appetendæ, potiorem dandi quam accipiendi didicerat fortunam. Multa largiebatur, nihilque auferebat, et ultro cunctis concedebat; donabat multa, largiebatur plurima, ditabat munificentiæ universos beneficiis, et munificentia magnus habebatur. Omnes ab illo augebantur donis ac divitiis locupletabantur; et non tantum fratribus et amicis quam ipsis servulis ecclesiæ se muneribus largum, ultra quam credi potest, præbebat. Ita nimirum temporibus ejus ditati sunt, ut in diem sacratissimum paschæ, quum ad ecclesiam procederet, plurimi pueri chlamydes olosericas induentes coram eo quasi coram rege incederent; et quod his temporibus nullus poterat, nullus præsumebat, hujus [1] indumentis amicti ante eum debitum deferentes obsequium pergerent.

Num. 24. — [1] *ed.* hujusmodi.

nec minus modestia et humilitate insignis.

25. Sed merito ei ab omnipotenti Domino fuit tanti meriti donum collatum, cujus cor in tanta opulentia et gloria transitoriæ prosperitatis gaudio numquam fuit turgidum neque inflatum. Nimirum humilis animus ejus supra solidissimam petram fundatus immaculabili conscientia, cogitatione sincera calliditatisque ignara, in prosperis humilis, in adversis existebat vehementer fortissimus: nec prosperitate erigebatur [1], nullo detrimento vel augmento constantia ejus mutabatur. Constans erat in cunctis, et adversus omnia promptissime paratus, patiens nimium et robore firmissimus; in cunctis adversis constans, in omnibus angustiis imperterritus perseverabat, vultum nec gaudio nec mœrore mutabat; unus semper vultus ejus, una hilaritate decoratus cunctis occurrebat; semper idem unus vultus ejus, nec unquam rerum varietate mutabatur. Non illum cunctis inimica elatio virtutibus extulit, sed in omnibus humilitatem sinceram sincero conservavit sacratissimo cordis affectu. Cumque in talibus divino favore virtutibus polleret, fama bona opinione concrescente adsparsis [2], et opera luminis a vero lumine condonata, multis in regionibus coruscavit [3].

ANNOTATA.

a *Præter hunc modum scribendi nomen sancti episcopi, duos alios præcipue reperimus apud antiquos, quales nobis in editis prostant.* Mausona

Num. 25. — [1] *ed. add.* nec adversitate frangebatur. — [2] *ed.* adsparsit *vel* affulsit. — [3] *ita prius in cod., sed corr.* coruscaverunt.

nuncupatur apud Joannem Biclarensem (1) *et in Chronico Roderici Toletani* (2), Massona *inter subscriptiones duplicis Concilii Toletani* (3) *et in inscriptione epistolæ ab Isidoro Hispalensi ad eum datæ* (4). *Apud recentiores nonnullos etiam dicitur* Masanus *vel* Masenus.

b *Ex hac electione viri ex gente Gothorum ad sedem metropolitanam Emeritensem colligit R. P. Julius Tailhan* (5) *non adeo ut quidam volunt disjunctos fuisse Hispano-Romanorum et Gothorum illa ætate in Hispania animos. Attamen ex mox sequente particula adversativa* sed *etiam dicendum videtur illam animorum conjunctionem non fuisse tantam ut Hispano-Romani Gothos omnino sibi pares existimarent. Gothus etiam natione fuit* Renovatus, *secundus* Masonæ *successor* (6).

c Dehabere, *id est* carere (7).

d *Hac voce hic significari crediderim officiales ecclesiasticos qui præerant colligendis frumento et aliis rebus quæ loco decimarum ecclesiis præstari solebant, vocabulo desumpto ex administratione rei militaris* (8).

e *Non convenit inter eruditos utrum hoc loco indicatus Redemptus idem fuerit cum Redempto archidiacono ad quem data inscribitur epistola a S. Isidoro* (9), *si tamen hæc authentica supponatur, quum Arevalo* (10) *et aliis viris doctis saltem*

(1) Cfr. supra Comment. præv., num. 15.—(2) Ap. Schott, *Hispania illustrata*, tom. II, p. 48. — (3) Cr. Comment. præv., num. 16. — (4) Cfr. ibid., num. 17. — (5) *Revue des Questions historiques*, tom. XXX (1881), p. 21. — (6) Infra num. 50. — (7) Du Cange, *Glossar.*, ad h. v. — (8) Cfr. ibid., tom. I, p. 64, v. *actuarius*, n. 5. — (9) P. L., tom. LXXXIII, p. 905. — (10) *Isidoriana*, cap. 74, n. 21 sqq. (P. L., tom. LXXXI, p. 507 sqq.).

suspecta visa sit (1). *Supposita vero authentia, secundum Nicolaum Antonium* (2) hic ille Redemptus fuerit archidiaconus ecclesiæ Hispalensis, qui obitum S. Isidori brevi narratione, quam ad nostra usque servatam habemus tempora, descripsit. Agebat forsan eo tempore in curia regia Isidorus, ut ad Hispali existentem archidiaconum convenienter scripserit. *Florez vero* (3) *omnino contendit Redemptum illum fuisse nostrum Emeritensem : probabile enim minime videri Isidorum, etiam ad brevi tempus in curia regali commorantem, tam prolixam epistolam scripsisse de re nequaquam urgente, quum Redemptum archidiaconum Hispalensem mox reversus quotidie coram alloqui posset. Aliquanto probabilior mihi videtur Florezii sententia, sed rem altius inquirere operæ pretium non est.*

f Montium, *ut aiunt,* pietatis *institutionem vulgo referunt ad posteriorem partem seculi XV* (4). *Verum ex hoc loco documenti nostri liquet rem longe fuisse antiquiorem et seculo VI a* Masona *excogitatam et executioni mandatam. Jam si admittatur nomine solidi hic indicari solidum aureum, ut passim in legibus barbarorum* (5), *et cum doctissimo Benjamino Guérard solidum aureum tempore Merovingiorum, si metalli tantum pondus et valorem attendas, valuisse francos 9, 28* (6), *at respectu habito ad pretium mercium, æquiparan-*

(1) Cfr. Nic. Antonius, *Bibl. Hisp. vet.*, lib. V, n. 154 (tom. I, p. 351), et notam Bayerii, p. 352. — (2) Ibid. — (3) *Esp. Sagr.*, tom. XIII, p. 322. — (4) Cfr. Moroni, *Dizionario di erudizione ecclesiastica,* tom. XLVI, p. 253. — (5) B. Guérard, *Polyptyque d'Irminon*, prolegom., p. 130. — (6) Ibid , p. 134.

dum esse francis nonaginta (1), *idque tempore quo scribebat Guérard, id est anno 1843, facile colligitur summam pecuniæ a* Masona *in hac argentaria expositam, valore monetæ hodiernæ æstimatam, ad minimum attigisse valorem francorum 200,000. Si vero hoc loco, sicut paulo inferius* (2), *solidos argenteos significari existimes, summa nostris temporibus 60,000 francorum æstimanda esset.*

CAPUT X.

Leovigildus, rex Wisigothorum arianus, studet avertere Masonam, episcopum Emeritensem, a fide catholica.

S. Masona *fortiter resistit Leovigildo regi ariano.*

Unde accidit ut hæc [1] opinione sævissimi atque crudelissimi Wisegotorum Leovigildi regis penetrarent auditum, et suæ invidiæ draco immanissimus, bonis operibus semper æmulus, stimulis acrioribus irritatus, ejusdem principis animum virus vipereum sauciaret, et poculum venenatum ejus in visceribus transfunderet [2]. Cujus et poculi lethalis haustu protinus consilio diabolico armatus, stimulante invidia, supradicto sanctissimo viro legatis intercurrentibus [iterum] iterumque mandavit ut, relicta fide catholica, ad arrianam hæresem cum universitate plebis sibi commissæ diverteret. Cumque vir Deo dicatus constantissime responderet, bis terque regredientibus nuntiis regi mandaret nunquam se veram fidem relinquere quam semel agnovisset, ipsi insuper arriano regi exprobravit ut debuit, ejusque a se perfidiam dignis increpationibus repulit. Ad se itaque re-

(1) Ibid., p. 138. – (2) Num. 32.

Num. 26. — [1] *ita prius, corr.* hac. — [2] *cod.* transfuderet.

versis nuntiis, cœpit supradictus rex diversis suasionibus animum ejus inlicere, [si] [3] forsitan per quacunque occasione posset eum ad suæ præstitionis[4] voluntatem [5] incurvare. Ille vero suasiones multas [6] callidas contempsit, dona et præmia veluti purgamenta respuit, fidem catholicam viriliter prorsus vindicavit. Nec tamen contra perfidiam tacere maluit, ne tacendo forsitan consentire videretur [7], sed totis nixibus ejus vesaniæ repugnans, clangore veritatis personavit. Cumque se ille cerneret casso labore deficere, raptus in furore, eum cœpit multis pulsare terroribus, opinans minis posse concutere quem blandimentis superare nequivisset. Sed vir sanctus nec terroribus frangitur, nec blandimentis suadetur; sed forti congressione adversus atrocissimum tyrannum dimicans, pro defensione justitiæ persistebat invictus.

CAPUT XI.

Sunna, pseudoepiscopus Emeritensis arianus, disputatione publica victus a Masona.

Sunna, episcopus arianorum Emeritæ, Masonam *ad disputationem publicam provocat,*

Comperto dehinc crudelissimus tyrannus quod nec minis neque muneribus viri Dei animum a recta fide ad suæ perfidiam apostatare posset, ut erat totus vas iræ fomesque vitiorum ac frutex damnationis, cujus obsedebat pectus truculentior

— [3] *om. cod.* — [4] *ed.* superstitionis. — [5] *cod.* vulūptatem. — [6] *ed.* ejus. — [7] *sic ex ed.; cod. vero:* Nec tamen contra perfidiam tacere malum sensisse videretur, *vocibus* ne tacendo forsitan con *prætermissis.*

hostis [1] et captivum in sua ditione tenebat callidissimus serpens, amara pro dulcibus, pro lenibus aspera obtulit cibis, pro salute medicamenta mortifera. Quemdam scilicet virum pestiferum, arrianæ hæreseos pravitatem per omnia vindicantem, cui nomen erat Sunna, pro seditiosis simultatibus excitandis et pro conturbatione sanctissimi viri vel totius populi, in eadem civitate episcopum arrianæ partis instituit *a:* virum denique dogmatis perversi fautorem, hominem funestum et vultu teterrimum [2], cujus erat frons turbida, truces oculi, aspectus odibilis, motus horrendus ; eratque mente sinister, moribus pravus, lingua mendax, verbis obscœnus, forinsecus turgidus, intrinsecus vacuus, extrorsus elatus, introrsus inanis, foris inflatus, interius cunctis virtutibus evacuatus, utrobique deformis, de bonis indignus, de pessimis opulentus, de delictis obnoxius, et perpetuam ad mortem nimis ultroneus. Hic jam dictus perfidiæ auctor dum in urbem Emeretensem adveniens quasdam basilicas cum omnibus earum privilegiis præcipiente rege sublatas ausu temerario de potestate proprii pontificis sibimet aggrediens [3] usurparet, addictus prædonis funesti arctioribus vinculis, sauciatusque [4] de ejus poculis lethalibus, cœpit contra Dei famulum rabidos oblatrare sermones, et verbis strepentibus comminantes spurcissimas evomere voces. Sed servum probatissimum Dei nec comminatio [5] furciferi fregit nec turbulenta ira pestiferi emollivit, nec tempestas insanientis perditi deflexit, sed ad instar muri fortissimi immobilis contra universas pro-

a

Num. 27. — [1] *ed.* hæresis. — [2] *cod.* deterrimum — [3] *cod.* eggrediens. — [4] *ed.* satiatusque. — [5] *cod.* contaminatio. —

cellas pro sanctæ fidei defensione permansit. Cumque toto adnisu Dei famulum vel omnes fideles jam dictus infidelis exquisitis artibus [6] exturbare vellet nec posset, fretus favore regio basilicam sanctissimæ virginis Eulaliæ passim adgredi nitebatur, ut eam sublatam de proprii episcopi potestate arrianæ hæresi dedicaret. Cui cum sanctus Masona episcopus vel universus populus resisteret ac vehementer oppugnaret, supradictus pseudoepiscopus Sunna antefato principi multa in accusationem sancti viri scripsit, eique suggessit ut ipsa sacra basilica, quam adire inhiaverat, catholicorum [7] potestate sublata, ditioni suæ regio imperio traderetur. Ad hæc ille talem fertur promulgasse sententiam : ut residentibus in atrio ecclesiæ judicibus utrique episcopi ab eisdem assumpti adessent, ipsisque coram positis utriusque partis defensionem conflictu disputationis altercarent, alternisque adversum se congressionibus dimicantes, de sanctarum scripturarum voluminibus, quæque ab eis essent dicta prolatis testimoniis astruerent vel roborarent ; et cujus pars triumphum bravii obtineret, ipse nihilominus ecclesiam sanctæ Eulaliæ sibimet vindicaret *b*.

b et ab eo superatur.

28. At ubi hujuscemodi decretum crebrescente rumore in auribus almi viri Masonæ personavit, illico basilicam sanctæ virginis Eulaliæ præproperus petiit, tribusque diebus totidemque noctibus parsimoniis [1] et fletibus perseverans ante altare sub quo venerabile corpusculum sacræ martyris situm est, pavimento prostratus incu-

[6] *cod.* ortibus ; *ed.* martyriis. — [7] *ed.* a catholicorum.
Num. 28. — [1] *ita cod., legend. forte* precimoniis.

buit. Tertio demum die ad atrium quod est fundatum intra mœnia ipsius [urbis] [2] repedavit; tantaque cum alacritate et mentis constantia regressus est ut nulli fidelium ambiguum videretur illum in ejus pergere adjutorium, qui dixit: *Nolite præcogitare quid loquamini; sed quod dictum fuerit vobis in illa hora illud loquimini: non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus.* Cumque pervenisset in urbem, ingressusque in atrium consedisset, vultus sui jucunditate cunctorum fidelium mœstitiam abstulit, ac ne in aliquo [3] de victoria ejus hæsitarent admonuit; ipsumque nefandum arrianum episcopum simulque et judices operiens diutissime præstolavit. Tandem arrianus episcopus una cum judicibus, septus catervis populi turgidusque fastu superbiæ, ingressus est. Tum deinde residentibus episcopis residerunt et judices, illi quam maxime qui erant fautores arrianæ partis et impiissimi regis. Cumque residerent, sanctus Masona episcopus, ut erat summæ gravitatis summæque prudentiæ, diu multumque oculis cœlo intentis silentium tenuit. Cumque ille sileret, hæreticorum Summa episcopus prius loqui exorsus est, cœpitque nefanda [4] oris strepentia, aspera, scabra et obscœnosa summo cum fragore producere verba. Cui cum vir Dei patienter, leniter suaviterque responderet et omnem veritatem insigniter demonstraret, atque ille contra procacioribus verbis, utpote per os draconis, insibilaret, cœpere utrique inter se verborum ingens habere certamen. Sed nulla ratione potuit moles carnea sapientiæ Dei sanctoque Spiritui, qui per os servuli sui Masonæ episcopi loquebatur, resi-

[2] *om.cod.* — [3] *cod.* alio. — [4] *ed.* nefandi.

stere. Quid multa ? omni ratione convictus superatusque conticuit ac pudore nimio coopertus erubuit, et non tantum ille quantum mediatores perversi qui ejus partibus importune nitebantur ferre adminiculum ; et non solum confusi erubuerunt, verum etiam audientes inæstimabilis doctrinæ loquelam mellifluo sermone de ore ejus procedentem, mente consternati atque in stupore nimio conversi, cum multa admiratione quem expugnare paulo ante voluerant, collaudabant. Nam tantam gratiam in eo die ejus labiis [5] conferre dignatus est Dominus ut nunquam eum quisque [6] prius viderit tam clarum eloquio facundo [7]; et licet semper docuerit ore facundo, tunc tamen præ ceteris diebus eloquentior exstitit. Tunc denique viderunt recti, et lætati sunt, et omnis iniquitas obturavit os suum, quoniam obstruxit Deus os loquentium iniqua. Cuncti igitur fideles vehementer admirati sunt, quia quamvis virum hunc antea nossent eloquentissimum, nunquam tamen eum tam scholasticos sermones, tam nitidos, tamque lucifluo eloquio reminiscebantur fuisse locutum. Tunc protinus omnes orthodoxi omnesque catholici, prostratis superatisque hostibus, in laudibus acclamaverunt, dicentes : *Quis similis tibi in diis, Domine ? Quis similis tibi ? et non est secundum opera tua.* Deinde ad basilicam gloriosæ virginis Eulaliæ una cum victore antistite Masona unanimiter perrexerunt ; in Dei nimirum laudibus exsultantes venerunt, immensisque fragoribus jubilantes sacratissimum ejus templum introierunt, infinitas grates omni-

[5] *cod.* dubiis. — [6] *ed.* quisquam. — [7] *ita corr.; cod. prius* facundum.

potenti Domino retulerunt, quia sacræ suæ virginis precibus [8] in sublime erexerat famulos et ad nihilum suos redegerat inimicos.

ANNOTATA.

a *Adverte Sunnam non fuisse missum Emeritam ut* Masonæ *loco illi sedi præsset, quod perperam videtur supponere Thomas Tamayus in adnotatione ad hunc locum, sed ut ariani, qui ad catholicorum ecclesias nec admissi essent nec accedere vellent, suum haberent episcopum, cui pro numero illorum qui ipsi adhærerent ecclesiæ quædam attributæ sunt.*

b *Sperabat forte Sunna fore ut multi catholici, vel ipsius rationibus vel certe terrore judicum victi, ad arianam hæresim profitendam transgrederentur, et ita jam ejus grege aucto augeri etiam posset a rege quadam specie juris numerus ecclesiarum ipsi propriarum.*

CAPUT XII.

Masona Toletum a rege vocatur; recusans dare tunicam sanctæ Eulaliæ, in exilium missus, equum ferocem domat.

Leovigildus rex calumniis Sunnæ excitatus, Masonam *Toletum accersit,*

Igitur supradictus hæreticus Sunna episcopus, quamlibet omni ratione et veritate fuerit convictus, pertinaciter in pristinam fidem perduravit; nec poterat liberis gressibus ad portum properare salutis, cujus cor lapideum instar Pha-

[8] *ita ed., cod.* templum.

raonis antiqui [1] permittente Deo induraverat hostis. Post hæc superatum se in omnibus videns, cœpit magis magisque mente effera adversus famulum Dei criminationes et adjecta [2] commentitia [3] callidis machinare dispositionibus, atque contra militem Christi omni genere septus telorum, seipsum potius adpugnaturus [4] advehere, ipsumque beatissimum virum Masonam episcopum in auribus principis Leovigildi arriani clam multis criminibus accusare. Nihil sane calliditas adversantis prævaluit; nihil virum Dei calamitosa nequitia nocuit, quem gratia Redemptoris spiritualibus armis armavit. Tandem spiritus nequam compulit sæpe nominatum arrianorum regem ut sanctum virum a propria sede removeret, suisque obtutibus præsentare deberet; ociusque ministri comparet criminis ejus, præceptionis edictum implentes atque ad Emeretensem urbem venientes, virum beatum sub omni celeritate ad urbem Toletanam, in qua rex erat, properare compellunt. Hinc cum subito sanctissimus vir Masona episcopus e gremio raptus ecclesiæ sanctæ tolleretur et indemnis quasi reus ad exilium duceretur, omnium vox civium Emeretensium ejulato magno cum intolerabilibus lacrymis perstrepebat [5]; tanti pastoris abrogari sibi remedia immensis gemitibus immensisque ululatibus proclamabant, his nimirum vocibus clamitantes : *Cur ovile tuum, pie, deseris, pastor? Cur gregem tuum periturum relinquis? Ne, quæsumus, luporum nos in faucibus mittas, ne oves tuæ hactenus necta-*

Num. 29. — [1] *ed* antiquus. — [2] *ed.* objecta. — [3] *cod.* commentia; *Flor.* commenta ; *Tam.* commercia. — [4] *ed.* expugnaturus. — [5] *cod.* prestrepebant.

reis floribus refectæ, mordacibus lanientur lupis, nullo procurante pontifice? Tunc ille motus tot fletibus, ut semper in Domino pietatis visceribus influebat [6], lacrymasse perhibetur ; dein plurimis eos alloquens verbis, mira subtilitate consolare dignatus est. Post hæc valefaciens cunctis, comitante sibi suffragio divino profectus est tranquilla mente, constanti animo, hilari vultu, ut semper erat solitus.

et tunicam S. Eulaliæ tradere recusantem

30. Cumque pervenisset ad urbem Toletanam, et atrocissimi tyranni conspectibus adstitisset, plurimis eum rex lacessens [1] conviciis, multisque terroribus pulsans, ad hæresem arrianam omni [2] adnisu pravæ intentionis pertrahere cupiebat. Sed cum vir Dei omnia sibi illata contumelia libenter toleraret, cœpit tamen adversus ea quæ rabidus canis oblatrabat, cum omni mansuetudine incunctanter respondere et omissis propriis contumeliis, pro injuriis catholicæ fidei condolens, ipsi tyranno audaciter respondere. Cujus constantia magis magisque permotus insanissimus rex, multo magis cœpit rabido ore rabidioribus adversus Dei famulum infrendere latratibus; deinde ut tunicam sanctissimæ virginis Eulaliæ ei præsentaret, quam in basilicam arrianæ pravitatis ibidem in Toleto habere deberet, cœpit minis terroribusque impellere. Ad hæc vir Dei respondit: *Compertum tibi sit quia cor meum sordibus arrianæ superstitionis nunquam maculabo, tam perversi dogmatis* [3] *mentem meam nunquam inquinabo. Tunicam dominæ meæ Eulaliæ sacrilegis hæretico-*

[6] *ed.* affluebat.

Num. 30. — [1] *cod.* lascessans. — [2] *cod.* omne. — [3] *ed* perverso dogmate.

rum manibus polluendam vel etiam summis digitis contrectandam nunquam tradebo, neque a te reperta quocumque tempore possideri potest. Hæc profanus tyrannus audiens, in furore vesaniæ versus, festinanter celeriterque ad Emeretensem urbem misit, qui ubique ipsam sanctam tunicam sollicite requirerent, et tam in thesaurum ecclesiæ sanctæ Eulaliæ quam etiam in thesaurum ecclesiæ senioris *a*, quæ vocatur Sancta Hierusalem, sagaciter scrutantes, eo usque perquirerent quousque repertam ad eum deferrent. Qui cum venissent, et ubique strenue requisissent, minime repererunt, ac sic vacui ad regem suum redierunt. Quod cum ei renuntiarent, acrius infrendere cum dentium stridore contra virum Dei diabolus cœpit. Qui cum ejus obtutibus sisteretur, ait ad eum : *Aut dic ubi est quod requiro ; aut si non dixeris, cognosce te gravibus afficiendum esse injuriis, et post in regionem longinquam in exilium proficisci, ubi multis ærumnis affectus omnibusque necessitatibus intolerabiliter cruciatus, crudeli morte deficies.* Ad hæc vir Domini talem fertur dedisse responsum : *Exilium mihi minaris ? Compertum tibi sit quia minas tuas non pertimesco et exilium nullatenus pavesco, et ideo obsecro te ut, si nosti aliquam regionem ubi Deus non est, ibi me exilio tradi jubeas.* Cui ille ait : *Et in quo loco Deus non est, biotenate* b *?* Et vir Dei respondit : *Si nosti quia in omni loco Deus est, cur mihi exilium minaris ? Nam ubicumque me direxeris, novi quia non me derelinquet pietas Domini. Sed et hoc certum habeo quia quantum tu in me crudelius fueris debacchatus, tanto magis me misericordia ejus subsequetur et consolabitur clemen-*

a

b

tia ejus. Ob cujus constantiam majori supplicio pessimæ mentis suæ insanissimus tyrannus interius afflictus, felle et amaritudine nimia permotus, ait ad eum : *Aut præsenta mihi ipsam tunicam, quam fraudulenter surripuisti, aut si non præsentaveris, diversis suppliciis faciam divaricari membra tua.* Cui miles Dei ita imperterritus respondit: *Jam dixi tibi semel et iterum quia minas tuas non formidabo; sed quidquid valet mens tua perversa amplius adversum me excogitet. Ego tamen nec te pertimesco, nec metu territus id quod requiris præsentabo. Sed hoc scito, quia tunicam ipsam igne combussi, pulveresque ex ea feci, et in liquorem aquæ permixtos bibi.* Et tactu manus suæ contrectans stomachum suum, dicebat : *Evidenter cognosce quia in pulveres redacta bibi illam, et ecce hic intus in ventre meo est ; nunquam tibi illam reddo.* Hoc autem ideo dicebat, quia nullo sciente sibi eam in stomacho plicatam infra sua indumenta linteis involutam præcinxerat, et ita eam Deo solo conscio gestabat; nam sic cæcavit Deus oculos ipsius regis et omnium assistentium ei ut nullus intelligeret quemadmodum ista prosequeretur vir Dei *c.*

c exilio mulctat : equus ferocissimus mitem se Masonæ *præbet.*

31. Dum hæc et his similia loquerentur et esset multa cœli serenitas, majestas divina cœlitus fragore magno repente intonuit, ita ut tremebundus de throno suo Leovigildus rex in terram cum pavore procideret. Tum vir Dei cum exultatione magna constanter ait: *Si regem* [1], *ecce regem quem timere oportet; nam non talem qualis tu es.* Tunc deinde spiritus nequam extemplo noxialibus verbis os sacrilegum tyranni conviciis semper ar-

Num. 31. — [1] *ed.* rex es.

matus [2] reseravit, et istam protinus impietatis suæ sententiam oblatravit : *Masonam, moribus nostris semper contra nos infestum et fidei nostræ inimicum religionique contrarium, ocius a conspectibus nostris subtractum exilio religari jubemus.* Cumque hujuscemodi inimicus impiissimus rex malam sane sententiam contra insontem dedisset, quantocius ministri compares criminis eum a conspectibus ejus abstraxerunt, equumque ferocem ei ad sedendum præcipiente rege paraverunt, qui eum ita præcipitaret ut cadens fractis cervicibus crudeliter interiret: tantæ scilicet ferocitatis equus erat, quod nullus sessor, pro eo quod jam multos per præceps corruere fecerat, ascendere præsumebat. Cumque viro Dei ut in eo ascenderet pararetur, rex crudelissimus per fenestram eminens [3] palatii respiciens, expectabat ut ei vir sanctus de equo casurus ingens spectaculum præberet. Statimque in nomine Domini edito vexillo crucis, sanctissimus sacerdos ascendit equum ferocem. Quem ei Dominus velut agnum mansuetissimum reddidit ; cœpit namque cum omni mansuetudine et cautela itineris sui pergere viam, qui paulo ante immenso flatu et fremitu atque incessanti totius corporis motu [4], quasi despiciendo alium ferre recusabat. Cumque hoc miraculum omnes cernerent, obstupescentes valde admirati sunt; nam et ipse rex in magna conversus est admiratione. Sed quid cæco prodesse poterat jubar splendidissimum solis, cujus arcana omni opere offuscaverat sævissimus hostis ?

[2] *ed.* armatum. — [3] *Tam.* eminus. — [4] *cod.* metu.

ANNOTATA.

a *Cfr. supra Annot.* a *ad cap.* VIII.

b Biothanatus, *vox contumeliosa, idem fere sonat quod* furcifer, qui violenta morte perire meretur (1).

c *Credibile est magis callide* Masona *mentem suam reticuisse : secus enim difficile a mendacii culpa excusari posset.*

CAPUT XIII.

a

Nepopis, pseudoepiscopns arianus *a*, Emeritæ substitutus; Masona vero in monasterio triennium exul miraculis claret.

Nepopis episcopus in sedem Emeritensem intrusus ; Masona *per triennium exul ; ejus liberalitas erga pauperes prodigio remunerata.*

Igitur sanctus Dei antistes Masona, tribus tantumdem secum suis comitantibus pueris, ad locum destinatum pervenit *b ;* cum quibus eum mox homines punituri, qui a rege missi fuerant, exilio in monasterio religarunt. Cujus religatio fuit summa sublimitas, contumelium [1] perspicua sanctitas, peregrinatio immensa felicitas. Post hæc subrogatur ei pseudosacerdos Nepopis quidam nomine, atque in locum viri Dei in Emeretensem urbem substituitur: homo namque profanus, servus sane diaboli, angelus satanæ, prænuntius antichristi, et hic erat alienæ civitatis episcopus. Sed quantum vir Dei crescebat virtutibus copiosis, e contra ille fœdabatur actibus nefandis. Cum jam per annos tres et eo amplius

b

Num. 32. — [1] *ita cod. Cfr. supra num. 30 init.*

(1) Cfr. Du Cange, tom. I, p. 685, col. 2.

beatam vitam beatus degeret vir Masona, multisque inibi præpolleret virtutibus, omnia quæ ibidem suis usibus suorumque famulorum habere poterat necessaria, pauperibus erogavit. Cumque pene nihil remansisset quod largire deberet, quædam vidua paupercula, quæ multis obsistebat ærumnis, ad eum stipem flagitans advenit. Cum vero vir Dei, qui jam omnia in opus simile consumpserat, magnopere inquireret quid ei impertiret, et quia minime reperiret, cœpit pueros qui cum eo erant deposcere ut si aliquis eorum aliquid haberet, et fideliter præsentaret, ut jam dictæ mulierculæ tribueret. E quibus unus, nomine Sagatus, qui præerat ceteris, respondit dicens : *Habeo quidem unum solidum* c *; sed si* c
hunc dedero, nihil omnino, unde nobis vel et bestiunculæ[2] *nostræ in postmodum emamus, habebimus.* Quem vir Domini ut sine aliqua hæsitatione integrum daret, nihilque sibi ex eo reservaret, præcepit, non ambigens Dominum sibi adfuturum, qui illi omnia bona protinus subministraret. Quod cum jussioni ejus obtemperans mulieri ipsum solidum dedisset, post pusillum ad eamdem mulierem prædictus Sagatus cucurrit, eamque deprecatus est ut quia non erat unde victum sibi emeret, ei de ipso quod fenerabat, saltem vel unum tremissem *d* redderet, unde suæ necessitati consuleret. Quæ statim unum absque mœstitia reddidit, duos vero secum jucunda mente portavit. Nec mora, et ecce subito ante fores monasterii reperti sunt ducenti asini onusti stantes, qui missi cum diversis alimoniis ad eumdem virum a diversis viris catholicis fuerant. *d*

[2] (et best.) *cod.* evestiunculæ.

Quod cum viro Dei fuisset nuntiatum, et ab his qui venerant esset oblatum, omnipotenti Domino immensas referens gratias, illico præcepit accersiri Sagatum. Qui cum venisset, ait ad eum vir Domini : *Quantum dedisti mulieri eleemosynam poscenti?* At ille respondit : *Secundum imperium tuum, solidum quem habui integrum dedi ; sed quia urguebat necessitas, unum ab ea tremissem postea accepi.* Et vir Domini dixit : *Indulgeat tibi Dominus, frater, quia ambiguus exstitisti et de miseratione Domini desperasti, insuper et in multos pauperes peccasti. Duos tremisses dedisti, ecce duo millia solidos et ducentos asinos oneratos multis alimentis accepisti. Nam si tertium tremissem non abstulisses, procul dubio trecentos asellos onustos accepisses.* Qui deinde gratias agens, atque gratiam benedictionis suæ pro gratiarum actione reddens, cunctos qui eum requisierant, sacris eloquiis simul et epistolis refecit : ille vero confestim pene cuncta quæ illi directa fuerant pauperibus erogavit.

ANNOTATA.

a *Perperam in hoc titulo arianus dicitur Nepopis. Patet enim ex textu capitis Nepopim loco* Masonæ *catholicis datum fuisse episcopum, arianis suum servantibus Sunnam. Unde nec mirandum est quod ipse Sunna,* Masona *profecto, Emeritensem sedem non invaserit : quem scilicet certissime catholici respuissent, utpote qui aperte arianam hæresim profiteretur.*

b *Quisnam hic locus fuerit, prorsus ignoratur.*

c *Hoc loco manifeste intelligendus est solidus*

argenteus, cujus valor absolutus erat francorum 2, 78, relativus vero pro tempore Merovingiorum ad nostra tempora (an. 1840) comparato, francorum 26, 57, secundum B. Guérard (1).

d Tremissis *erat tertia pars solidi.*

CAPUT XIV.

Leovigildus rex, percussus a sancta Eulalia, Masonam restituit ecclesiæ Emeritensi.

S. Eulalia Masonæ *in visu finem exilii prænuntiat;*

Post aliquos vero dies, cum in basilicam ipsius monasterii gratia orationis intrasset, subito super altare ejusdem sanctæ basilicæ sacratissima virgo Eulalia in columbæ speciem nivei candoris apparuit, eumque [1] blande alloquens, utpote piissima domina, fidelissimum consolare dignata est servulum. Deinde ait ad eum : *Ecce jam tempus est ut ad tuam regrediens civitatem pristinum mihi debeas exhibere servitium.* Et hæc dicens alacri volatu ab oculis ejus evanuit. Vir autem Dei, licet tantæ visionis tantæque consolationis gratia exultaret, flere tamen nimium cœpit, quod quietem paupertatis et peregrinationis suæ amittens, ad turbines et procellas mundiales reverteretur. Non illi quippe ambiguum erat id quod audierat confestim esse complendum.

Leovigildo regi verberibus afflicto imperat ut sanctum ab exilio revocet.

34. Tum deinde, nulla intercurrente mora, præfata gloriosa virgo injurias servi sui severissima vindicavit ultione. Denique nocte quadam recubante in strato suo impio Leovigildo tyranno astitit, eique flagris diu multumque utraque latera verberavit, dicens : *Redde mihi servum meum.*

Num. 34. — [1] *cod.* cumque.

(1) *Polyptyque d'Irminon*, tom. I, pp. 134, 138.

Nam si moram feceris ad reddendum, scito te acrioribus suppliciis excruciandum. Ita nimirum flagellatus est miser ut expergefactus cum fletu magno cunctis sibi adsistentibus tot illatos ostenderet livores, et idcirco se clamitans fuisse flagellatum quia sanctissimo episcopo injurias irrogasset. Nam quis ei verba intulerit, nomen, habitum, vultusque venustatem sigillatim pandit, et omnia magnis cum ejulatibus manifestissime propalavit. Illico namque veritus ne gravius Dei judicio mulctaretur, ut erat semper in omnibus rebus simulator pessimus ac dissimulator fallacissimus, prece[2] multa[3] præcepit ut vir Dei, qui frustra fuerat a civitate sua remotus, rursus ad suam accederet regendam ecclesiam. Qui dum ea quæ postulabat insanissimus rex minus annueret sanctissimus vir Masona, seseque permansurum ubi religatus fuerat assereret, iterum iterumque oblatis precibus poposcit ut ad suam dignaretur redire civitatem ; pietas quippe summi Dei statim sincerum pectus emollivit, ac benevolentia copiosa viam suo famulo aperuit. Cum vero jam Deo opitulante regrederetur, precibus muneribusque sibi eum propitium crudelissimus rex nitebatur efficere, quem fraude dudum religaverat damnatione. Ille autem munera respuit, dona abnuit, facinus perpetratum clementi animo laxavit, et juxta sententiam Domini debentium culpas non retinuit, sed dimisit.

[2] *ita corr., prius* pie. — [3] (p. m.) *ed.* pietate simulata.

CAPUT XV.

Fugiente Nepopi pseudoepiscopo, Masona res ecclesiæ recuperat.

Nepopis pseudoepiscopus fugiens res ecclesiæ abripere tentat; quibus mirabiliter recuperatis, Masona *Emeritam revertitur.*

Dehinc cum maximo comitatu de loco quo religatus fuerat [1] urbem Emeretensem reversus est. Cujus dum gressum Nepopis, qui eidem fuerat subrogatus, audisset, terrore divino subito exterritus ad propriam urbem, in qua antea fuerat episcopus, fugere nitebatur. Prius tamen quam abiret, argentum copiosum et ornamenta insignia, et quæque [2] meliora vidit in Emeretensem ecclesiam, plaustris plurimis peroneratis, per homines Emeretensis ecclesiæ clam nocturno tempore ad suam civitatem fraudulenter misit. Ipse videlicet Nepopis, infeliciter ab omni clero vel populo pulsus ab Emereta, ad suam civitatem festinus perrexit, ac ne eum vir Dei Masona in sua ecclesia invenisset et cum omni ignominia pelleret, quantocius egredi festinavit. Cumque prior ipse cum paucis fugeret, post ipsum cuncti ad eum pertinentes urbem ignominiose egressi, dispersi, conturbati ac per diversa palantes, ad propriam tendebant civitatem. Cumque hæc agerentur, nutu Dei meritisque sanctæ Eulaliæ contigit eodem die subito sanctum Masonam cum infinita multitudine per ipsam viam regredi ad Emeretam civitatem per quam plaustra rebus ejus onusta properabant. Cui dum in ipso itinere haud procul ab urbe obviassent [3], vir sanctus sciscitari præcepit cui essent ista omnia vel plaustra. At illi

Num. 35. — [1] *cod. add.* subrogatus. — [2] *cod.* quidquid. — [3] *cod.* obviasset.

cognoscentes proprium dominum, gaudio magno repleti responderunt : *Servi tui sumus, domine.* Quos ille denuo quid in plaustris ferrent interrogavit. Illi autem dixerunt : *Res sanctæ Eulaliæ et tuas, quas hostilis prædo Nepopis prædavit, portamus, et ipsi infelices in captivitatem pergimus, separati a rebus vel filiis vel uxoribus nostris et a patria in qua nati sumus expulsi.* Quod cum vir Domini audisset, gaudio magno repletus ait : *Gratias tibi, Domine Jesu bone, refero, quia magna est multitudo dulcedinis tuæ, qui tantam in omnibus pro tuis, licet indignis, servis curam gerere dignatus es, ut et nos ab omnibus malis ereptos prospere reduceres, et res tuas ditioni inimicorum minime traderes.* Et hæc dicens, cunctos ad civitatem suam revocari præcepit, ac sic cum immenso gaudio gaudentibus cunctis ad urbem pervenit.

et summa omnium exultatione recipitur.

36. Et sicut quispiam sitiens in ardore caumatis fluenta fontium concupiscit, sic ille ad basilicam sanctæ Eulaliæ æstuanti animo frequentique spiritu, adnitente Deo, pervenire meruit. Cumque ibidem toto mentis affectu desiderii sui accumulasset affectum, exultans in Domino, exultantibus universis, urbem ingressus est. Ita nimirum ecclesia Emeretensis exultans summâ cum jucunditate suum gubernatorem recepit. Gaudebant enim quod reperisset ægrotus medelam, solatium quod oppressus invenisset, alimentum quod non deesset egeno. Quid multa ? reddita sunt a Domino Emeretensi ecclesiæ copiosa suffragia ; nam calamitatum penurias, et crebras pestilentiæ clades, insolentesque totius urbis procellas sancti viri præsentia, Domino miserante, suspendit, quas indubie remoto pastore causa ejus absentiæ pressit.

CAPUT XVI.

Leovigildo regi in hæresi mortuo Reccaredus filius catholicus successit.

Leovigildo mortuo, Reccaredus Visigothos ab ariana hæresi retrahit.

Igitur cum non prodesset sed obesset, ut magis perderet quam regeret Leovigildus Hispaniam, nec quidpiam de flagitiis vel facinoribus remaneret quod non proprium sibi defenderet, deserens usquequaque Deum, imo derelictus ipse a Deo, regnum simul cum vita infeliciter perdidit, gravissimoque morbo Dei judicio correptus vitam fœdissimam emisit et mortem sibi perpetuam acquisivit, crudeliterque e corpore ejus anima resoluta, perpetuis pœnis detenta, perenniter erebi mancipata tartaris non immerito tenetur religata, picibus semper bullientibus undis arsura *a*. Post cujus crudelissimam mortem venerabilis vir Reccaredus princeps, filius ejus, jure administrationem regni adeptus est, meritoque ad culmen sibi debiti principatus evectus est; præcipuis meritis legitime solemniterque regale culmen, tribuente Deo, promeruit, vir denique orthodoxus et per omnia catholicus, qui non patrem perfidum, sed Dominum Christum sequens, ab arrianæ hæresis pravitate conversus est, totamque Wisigothorum gentem mira prædicatione ad veram fidem perduxit *b*. Erat enim religionis divinæ assertor, rectæ gloriæ prædicator, defensor, omnimodis catholicam fidem, sanctam Trinitatem coæternam uniusque virtutis et substantiæ prædicans atque in personarum proprietate distinguens, in natura unum Deum affirmans,

a

b

Patrem ingenitum dicens, Filium ex Patre genitum adstruens, Spiritum vero sanctum ex utroque procedere credens. His videlicet virtutibus adornatus, cœpit omnes quos Deo charos sentiebat diligere, horrere omnino et execrare omnes quos Deo agnoscebat odibiles, atque hæreticorum nefandæ impietatis condemnavit errorem. Quod dum instanter fieret, et multa catholicæ ecclesiæ favente Deo tranquillitas redderetur, et arrianæ calamitatis error ab omnium pene mentibus discuteretur, et cunctis simultatibus pulsis urbs Emerita una cum sancto Masona episcopo pro tantæ tranquillitatis gratia congauderet et Domino indesinenter gratias referret, rursus antiquus hostis invidia assueta incitatus, rediviva Dei famulo per suos ministros intulit prælia.

ANNOTATA.

a *Secundum Gregorium Turonensem Leovigildus catholicam fidem in extremis amplexus est.* Post hæc, *ait* (1), Leuvigildus rex Hispanorum ægrotare cœpit ; sed, ut quidam asserunt, pœnitentiam pro errore hæretico agens, et obtestans ne huic hæresi quisquam reperiretur consentaneus, in legem catholicam transiit, ac per septem dies in fletu perdurans pro his quæ contra Deum inique molitus est, spiritum exhalavit. *Gregorius vero M.* (2) : Pater vero *(Hermenegildi Leovigildus)* perfidus et parricida commotus pœnitentia, hoc fecisse se doluit, nec tamen usque ad obtinendam salutem. Nam quia vera esset catholica fides

(1) *Hist. Franc.*, lib. VIII, cap. 46. — (2) *Dial.*, lib. III, cap. 31 (P. L., tom. LXXVII, p. 292).

agnovit, sed gentis suæ timore perterritus, ad hanc pervenire non meruit. Qui, obortæ ægritudine, Leandro episcopo, quem prius vehementer afflixerat, Recharedum regem filium, quem in sua hæresi relinquebat, commendare curavit, ut in ipso quoque talia faceret qualia et in fratre illius suis cohortationibus fecisset. Qua commendatione expleta defunctus est. *Legerat Gregorii dialogos anonymus noster ; nihilominus acerrimis verbis Leovigildum et ejus miserum obitum perstringit, nedum cum Turonensi illum sincere conversum admittat. Attamen ipsa* Masonæ *ab exilio revocatio indicare videtur Leovigildum in fine vitæ aliquatenus resipuisse.*

b *Negotium illud perfectum est celebri concilio Toletano III, anno 589* (1), *ubi rex cum regina, episcopi ariani et optimates gentis Gothorum publice arianam hæresim abjurarunt et catholicam fidem professi sunt.*

CAPUT XVII.

Cum Sunnæ pseudoepiscopi fraude a Witerico comite Masona gladio peteretur, miraculo liberatur.

Sunna episcopus arianus insidias struit S. Masonæ, a

Sunna namque Gothus[1] episcopus, cujus supra memoriam fecimus, irritatus a diabolo quosdam Gothorum[2] nobiles genere opibusque perquam ditissimos, e quibus etiam nonnulli in quibusdam civitatibus comites a rege fuerant constituti *a*, consilio diabolico persuasit, eosque de catholicorum agmine ac gremio catholicæ ecclesiæ cum in-

Num. 38. — [1] *cod.* gotus. — [2] *cod.* gotorum.

(1) Mansi, tom. IX, p. 977 sqq.

numerabili [3] multitudine populi separavit, et contra famulum Dei Masonam episcopum fraudulenta consilia, qualiter eum interficerent, commentavit. Tunc deinde ad eum pueros suos misit, et quasi ex affectu charitatis ad domum suam per eosdem venire rogavit, ut ibidem virum Dei crudelissima morte perimeret. Qui cum venissent, eique suggessissent, mox vir beatus, spiritu Dei repletus, conludium eorum intellexit, et statim ait: *Ego illic abire modo minime possum, quia est quod* [4] *pro utilitatibus ecclesiæ catholicæ disponere debeam; sed, si me desiderat videre, hic in atrium ecclesiæ veniat, et quemadmodum vult, ita me videat.* Ii vero qui missi fuerant redeuntes, ea quæ audierant renuntiaverunt. Cumque hæc audisset, supradictos comites, cum quibus sanctum virum interficere disponebat, ad domum suam protinus ascivit, eisque ut atrium una cum eo pergerent dixit; ita tamen cum eis prius definivit, ut dum atrium introirent, unus ex illis, cui Witericus nomen erat, qui etiam post rex Gothorum fuit *b*, excepto gladio ita beatissimum virum uno ictu transverberaret ut secundo opus non esset.

b

a quibus is divinitus serratur.

39. Cum autem hujuscemodi consilio jam dictum Guitericum informasset, ad atrium sancti episcopi uno animo eademque sententia omnes simul perrexerunt. Qui cum venissent et ingredi ilico voluissent, prohibiti sunt, et ut paulisper præ foribus exspectarent admoniti sunt, quoadusque sanctus Masona ad Claudium virum clarissimum, ducem Emeretensis civitatis *c*, mitteret, ut eo præsente se mutuis alternisque cernerent aspectibus. Idem vero Claudius, nobili genere ortus, Romanis

c

[3] *cod.* innumerabile. — [4] *cod.* quid.

fuit parentibus natus; existebat prorsus fide catholicus, et religionis vinculis fortiter astrictus: in prœliis strenuus, in timore Dei valde promptissimus, in bellica studia eruditus, in causis bellicis nihilominus exercitatus. Cumque eidem nuntiatum fuisset, quia domus ejus valde contigerat atrio, mox cum ingenti multitudine perniciter [1] properans adfuit. Denique, cum vir illustris Claudius atrium introisset, protinus et illi, qui supra memorati sunt, cum ingentibus catervis populi introierunt, ac deinde salutato viro sancto ex more consederunt. Quum diu multumque residentes ad invicem loquerentur, idem jam dictus Witericus, juvenis fortissimus, stans post scapulam egregii viri Claudii ducis, utpote juvenior adhuc ætate reddens obsequium seniori, imo nutritori suo *d*, gladium quo erat accinctus toto nisu e vagina sua educere maluit, ut sanctum Masonam simulque et Claudium, secundum quod definitum fuerat, trucidaret. Sed nutu Dei ita gladius in vagina astrictus est ut putaret hunc clavis ferreis cum ea fuisse confixum. Cumque diu multumque ensem educere voluisset, et omnino non valuisset, cœperunt auctores hujus pravi consilii tacite admirari cur Witericus quod fuerat pollicitus minime adimpleret, eumque subtiliter oculis intuentes magis magisque hortabantur ut tantum nefas et tam immane piaculum incunctanter patrare deberet et prædictos viros gladio animadverti nullatenus formidaret. Ad quorum ita crudelissimam exhortationem iterum atque iterum spatam suam e vagina totis viribus educere voluit, sed nunquam potuit. Cumque [hoc] [2]

Num. 39. — [1] *ed.* perspicaciter. — [2] *om. cod.*

supradictus juvenis cerneret, sensit divino munere gladium fuisse adstrictum, ut quem semper suis usibus aptum habuerat, tunc minime educere potuisset, et hic in stupore nimio [3] conversus expalluit. Auctores vero hujus nefandi sceleris, ut viderunt concinnationes sui nequissimi consilii divino judicio fuisse frustratas, illico surrexerunt, ac valefacientes ad domos suas cum amaritudine redierunt.

ANNOTATA.

a *Ad Comites apud Gothos utique accommodari possunt quæ nota sunt de eorumdem dignitate, munere, etc. apud alias Germanas gentes illius temporis* (1).

b *Occiso scilicet Liuva II, Reccaredi filio,* æra DCXLI, an. imp. Mauricii XXI (2), *id est æræ christianæ anno 603.*

c *Duces plurimis civitatibus et eorum comitibus nomine regis præerant* (3).

d *Quanta reverentia nobiles Germani* nutritorem *suum prosequi solerent, ex poeticis illarum gentium traditionibus nuper indicavit v. cl. Leo Gautier* (4).

[3] *cod.* nimiu.

(1) G. Waitz, *Deutsche Verfassungsgeschichte*, tom. II, p. 362-380. — (2) Isidor., *De reg. Gothorum*, cap. 58 (P. L., tom. LXXXIII, p. 1073). — (3) Cfr. Waitz, tom. cit., p. 384-388. — (4) *Revue des Questions historiques*, tom. XXXIV (oct. 1883), p. 365.

CAPUT XVIII.

Iterum Masona liberatur ab insidiis Sunnæ ope Claudii ducis Emeritensis; Sunna pertinax et exul obiit in Mauritania; Vacrila socius criminis fit mancipium ecclesiæ.

Altera arianorum conjuratio

Illisque reversis Witericus cum eis minime rediit, sed statim tremebundus ad pedes sanctissimi viri Masonæ episcopi corruit, omneque consilium prodidit, et quemadmodum eum percutere voluerat, nec gladium educere valuerat, sinceriter enarravit. Post hæc cum lacrymis ait : *Confiteor peccatum meum, quia tota intentione hoc malum perpetrare volui, sed non me permisit Deus.* Et adjecit : *Nam et aliud adversum te disposuerunt consilium, ut, quia hic in atrium modo non prævaluerunt, saltem in diem sacratissimum paschæ prævaleant. Hanc vero dispositionem habent, ut cum ex more in paschæ hic celebraveritis missam in ecclesia seniore, et post missam, juxta quod mos est, ad basilicam sanctæ Eulaliæ psallendo cum omni catholico populo processeritis, homines eorum ad portam civitatis cum multis plaustris onustis gladiis et vectibus, dissimulata calliditate, quasi frumenta deferant, staturi sunt; cumque vos inermes simpliciter processeritis, omnis eorum repente super vos irruat multitudo, arreptisque gladiis et fustibus omnes pariter, viros ac mulieres, senes vel parvulos, crudeli morte interimant. Ego vero infelix, qui me in tantum facinus miscui, a te piissimo domino meo indulgentiam peto, et ut mihi tuis pre-*

Num. 40. — [1] *cod.* simulque.

cibus Dominus veniam tribuat deprecor. Omnia tamen quæ novi, fideliter suggero et purissime manifesto. Et ecce in manibus vestris sum ; facite in me quod bonum et rectum videtur in oculis vestris. Ac ne forsitan me tua sanctitas fallacem aut illusorem existimet, non me permittas egredi atrium, sed in custodia qua jubes trade, donec omnia strenue perquiras ac certissime cognoscas; et, si mentiente me aliter repereris, nolo vivere.

opera Claudii ducis victa ;

41. Cum hæc vir Domini Masona episcopus, qui semper virtute pietatis enituit, audisset, eum ut nihil omnino metueret blande admonuit, gratias omnipotenti Deo egit, qui servos suos de tantis liberavit periculis, ac deinde ad Claudium ducem misit, eique omnia intimavit. Quod dum ille audisset, præcepit ut causa paululum silentio tegeretur, ne forsitan cognoscentes proditum fuisse eorum consilium, fugam arriperent. Sed dum sagaciter investigarent, manifeste reperit esse verum quod fuerat nuntiatum. Cumque ea quæ exposuerant supradicti comites arriani præbuissent ex more in occursum *a*, disposita circumquaque multitudine in insidiis, repente super eos dux irruit Claudius ; et alii ex eis capti sunt, alii vero qui gladiis operari voluerunt, a gladiis statim perierunt. Tum deinde ad domum Sunnanis *b* arriani episcopi cum ingenti multitudine Claudius dux perrexit, ipsumque hæreticum similiter episcopum nihil horum opinantem comprehendit, eumque arduc custodiendum sancto Masonæ episcopo delegavit. Similique modo universos collegas ejus custodiæ mancipavit ; Witericum vero, qui nefandorum consilia manifestavit, liberum abire præcepit. Omnia igitur quæ gesta fuerunt, orthodoxo

a

b

principi Reccaredo Claudius dux intimavit, atque ut porrectam confestim decretus sui sententiam ei præciperet quid de hostibus Domini Jesu Christi fieri deberet suggessit.

Sunna in exilium missus.

42. Rex vero hujusmodi accipiens suggessionem, talem dedit sententiam : *Ut cuncti, omnibus patrimoniis vel honoribus privati, exilio multis vinculis ferreis vel constricti ligarentur ; Sunnanem vero pseudoepiscopum exhortarentur converti ad fidem catholicam : et si converteretur, tunc demum ei præciperent* [1] *ut pœnitentiam agere deberet, et satisfactione lacrymarum sua delicta defleret, ut acta pœnitudine, cum eum jam cognoscerent perfectum esse catholicum, eum postmodum in quacunque alia civitate ordinarent episcopum.* Cumque ei crebro dicerent ut pœnitentiam tantis pro piaculis ageret, et furorem Domini, quem delinquendo excitaverat, deflendo mitigaret ; quod agere noluit, sed pristinam non omittens tyrannidem, hæc respondit : *Ego quid sit pœnitentia ignoro. Ob hoc compertum vobis sit quia pœnitentiam quid sit nescio, et catholicus nunquam ero ; sed aut ritu quo vixi vivebo, aut pro religione in qua nunc usque ab ineunte ætate mea permansi libentissime moriar.* Cujus dum mentem obstinatam pertinacemque in malis cernerent, hunc protinus de finibus Hispaniæ, ne alios pestifero morbo macularet, cum summo dedecore infeliciter repulerunt [2], atque in modicam naviculam ignominiose imposuerunt, eique comminantes præceperunt ut in quocunque loco, gente vel regione transmeare vellet, liberum haberet arbitrium ; quocunque vero tempore in Hispania fuisset repertus, graviori se cognosceret

Num 42 — [1] *cod.* præciperet. — [2] *cod.* repelerunt.

mulctandum sententia. Tunc deinde navigans Mauritaniæ regionis contigit littus, atque in eadem provincia aliquandiu commoratus, multos perfidia impii dogmatis maculavit ; deinde divino protinus mulctatus judicio, crudeli exitu vitam finivit *c*. Basilicas quibus sanctus Masona dudum injuste caruerat, juste cum omnibus privilegiis recipere meruit, et omne patrimonium supradicti hæretici, concedente clementissimo principe Reccaredo, adeptus est.

c

Mira erga unum e conjuratis S. Masonæ *misericordia.*

43. Ceteros vero viros scelestos, quos supra meminimus, juxta præceptum regis exilio relegarunt. E quibus unus, vocitabatur Vagrila, de manibus eorum evadens, ad basilicam sanctæ Eulaliæ ob remedium percipiendum confugivit. Quod cum principi Reccaredo sæpe dictus Claudius intimasset, hoc dixisse fertur : *Inimicus summi Dei miror cum qua facie atria ejus sancta ingredi præsumpserit, ut quem hactenus insaniendo frustra persecutus est, nunc ad eum percipiendi causa remedii confugium facit. Sed quia multæ miserationis novimus esse Deum et nullum despicere, quamvis delinquentem, ad se convertentem ambigimus, ob hoc ita decernimus, ut ipse Vagrila cum uxore, filiis et omni patrimonio suo perpetim sanctissimæ virginis Eulaliæ servus deserviat. Nam et hoc præsenti decreto sancimus, ut sicut ultimi pueri ante equum dominorum suorum absque aliquo vehiculi juvamine ambulare soliti sunt, ita ante caballum domini qui præest cellæ sanctæ Eulaliæ ambulare debeat, et omne servitium quod infimum consuevit peragere mancipium, coram eo deposito cothurno vel fastu cum omni humilitate deserviat.* Accepta igitur sanctus Masona auctoritate, cum illico de

basilica egredi, ad suum conspectum venire præcepit et, ut semper pietatis visceribus affluebat, eum blande ne aliquid jam deinceps formidaret, admonuit. Sed, ut jussioni principis obtemperans, causa obedientiæ de ecclesia sanctæ Eulaliæ usque ad atrium, quod est fundatum intra muros civitatis, ante caballum Redempti diaconi [pergere ordinavit arreptoque baculo supradicti diaconi] [1] manibusque gestans, [cum] ad atrium pervenisset, statim eum vir sanctus cum uxore et filiis et omnibus prædiis absolvens liberum abire permisit. Hoc solum illi præcepit, ut omnimodis catholicam fidem integram et immaculatam cunctis diebus vitæ suæ conservaret.

ANNOTATA.

a *Hæc verba* ex more in occursum *cum præcedentibus conjungenda puto, non cum sequentibus, ut passim legitur in editis, et totam sententiam sic explico : Debebant singuli terrarum possessores singulis annis certam copiam frumenti et aliarum rerum ecclesiæ seu episcopo conferre et mos erat ut in die paschatis hæc plaustris adveherentur a colonis ad portam civitatis, ubi episcopo post missam illac ad ecclesiam S. Eulaliæ procedentem offerrentur. Sic igitur ex more cum plaustris multis, quæ ducebant ipsorum coloni seu homines, advenerant conjurati.*

b *Ita in codice nostro, non* Sunnonis, *ut in editis. Ceterum jam conjecerat Thomas Tamayus legendum esse* Sunnanis, *gothica declinatione, ut* Wam-

Num. 43. — [1] *quæ uncinis inclusa sunt desiderantur in codice.*

banis, Egicanis, Chintilanis, Suintilanis, *et id genus alia.*

c *Joannes Biclarensis, conjurationem illam non adversus solum* Masonam, *sed adversus Reccaredum regem initam illigat anno* 587 (1).

CAPUT XIX.

Narbonensis tumultus Arianorum, ab episcopo Athaloco excitatus, compressus est opera Reccaredi regis.

Rebellio Narbonensis, cujus particeps est Athalocus episcopus arianus,

Ea igitur tempestate apud Galliarum eximiam urbem Narbonam hujuscemodi contra fidem catholicam diabolus excitavit seditionem, cujus causæ seriem enarrare perquam longum est; nam si hoc per ordinem prosequi voluerimus, tragœdiam magis quam historiam texi videbitur. Sed breviter summatimque exiguam particulam enarremus. Duo denique comites, inclyti licet opibus et nobiles genere, profani tamen mentibus et ignobiles moribus, Granista videlicet et Wildigernus, una cum arrianorum episcopum nomine Atalocum, vel alii multi compares errorum suorum, graviorem in eamdem regionem fecerunt turbationem. Nam resultantes adversus fidem catholicam, infinitam multitudinem Francorum in Galliis introduxerunt, quatenus et pravitatem arrianæ partis vindicarent et, si fieri potuisset, regnum viro catholico Reccaredo præriperent. Interim per idem tempus innumerabilem clericorum, religiosorum et omnium catholicorum interficientes multitudinem, immensam fecerunt stragem; quorum scilicet salvator noster Jesus Domi-

(1) Cfr. Comm. præv., num. 26.

nus animas omni auro obrizo puriores omnique lapide pretioso pretiosiores, velut holocaustomata suscipiens, catervis martyrum in cœlesti sacrario collocavit.

a rege Reccaredo compressa.

45. Post hæc igitur nulla mora intercurrente sublimis atque omnipotens Deus hostibus suis superno brachio repugnans, precibus excellentissimi Reccaredi principis sanguinem innocuum ulciscens, romphæali judicio protinus de inimicis mirificam fecit ultionem *a*. Denique prostratis consternatisque universis fidei catholicæ inimicis, sanctus Masona episcopus cum omni plebe sua psalmodiæ canticum exorsus mysticas laudes Domino cecinit, atque ad aulam almæ virginis Eulaliæ cum omni plebe plaudentes manibus ymnizantesque venerunt. Ac deinde paschalem solemnitatem omnes cum eo cives jucundissime celebrantes more priscorum platearum [1] fragore magno jubilantes in laudem Domini clamaverunt, dicentes : *Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est ;* et iterum : *Dextera tua, Domine, magnificata est in virtute ; dextera manus tua confregit inimicos, et præ multitudine majestatis tuæ conteruisti adversarios.* Post hæc, remotis ab omni parte tempestatibus, copiosam Dominus populo catholico largire dignatus est pacem.

a

ANNOTATUM.

a *Insignem hanc Visigothorum de Francis victoriam, anno 588 relatam* (1), *magnificis verbis*

Num. 45. — [1] *ed.* per plateas.

(1) Cfr. Comment. præv., num. 26.

celebrant Joannes Biclarensis (1) *et Isidorus Hispalensis* (2), *nec dissimulavit Gregorius Turonensis* (3). — *Ad Claudium ducem datæ exstant epistolæ Gregorii M.* (4) *et Isidori Hispalensis* (5), *ubi inter alia laudem ejus bellicam celebrant.*

CAPUT XX.

Masona valde senex factis eleemosynis moritur, Eleutherio archidiacono ex prædictione viri sancti præmortuo.

S. Masona *senex curam ecclesiæ suæ committit Eleutherio archidiacono:*

Sanctus itaque Masona dum multis curriculis annorum adminiculante divino suffragio Emeretensem regeret ecclesiam, fessus jam nimia senectute, vi febrium correptus est, cœpitque viribus totius corporis repente destitui. Tunc deinde convocans archidiaconum suum, nomine Eleutherium, ait illi : *Cognosce, fili, quia tempus resolutionis meæ instat : et ideo obsecro te atque admoneo, ut jam modo ita curam sanctæ ecclesiæ totiusque sanctæ congregationis sollicite geras, ut me in omnibus securum reddas, et mihi liceat in loco secreto mœroris animi mea, priusquam abeam, deflere delicta.* His auditis, jam dictus archidiaconus ejus non infirmitati nec senectuti compassus est, non se desolari tanti patris solatio doluit, sed potius pro ejus obitu gaudio magno gavisus est ; protinus cor suum lætitia transitoriæ potestatis inflavit, ita nimirum ut cum magno comitatu puerorum superbus equo vehente huc illucque properaret.

(1) P. L., tom. LXXII, p. 870. — (2) *De regibus Gothorum*, cap. 54 (P. L., tom. LXXXIII, p. 1872). — (3) *Hist. Franc.*, lib. IX, cap. 31. — (4) Lib. IX, ep. 120 (P. L., tom. LXXVII, p. 1050). — (5) Epist. VI (P. L., tom. LXXXIII, p. 902).

47. Post aliquantis autem diebus accidit ut sanctus Masona episcopus puerulis, qui ei fidele exhibuerant servitium, libertatis chartulam conscriberet, et pro confirmanda eorum libertate aliquam partiunculam pecuniolæ tribueret, aut certe exiguas possessiunculas conferret. At ubi archidiacono jam dicto nunciatum est, illico atrium petiit, quemadmodum se haberet sanctus episcopus sciscitavit. Cui cum dictum fuisset quia convalescente ægritudine morti jam adpropinquaret, statim supradictos puerulos arcesivit, et quidquid illis veraciter a sancto fuisset illatum episcopo requisivit. Cui cum illi veraciter dixissent, excitatus in furia cœpit eis minas [1] turbulenter prætendere terrores ac dicere [2] : *Videte quod accepistis, bene conservate; nam si mihi omnia intemerata, cum requisiero, non præsentaveritis, scitote vos gravissimis suppliciis fore* [3] *excruciandos.* Et his dictis, cum furore ad domum suam reversus est. Tum deinde supradicti pueri, cellulam in qua sanctus vir Masona episcopus æger in lectulo recubabat ingressi, amarissime coram eo flere cœperunt, dicentes : *Misericordiam nobis indignis pro tua pietate fecisti, quod utique melius nobis convenerat si non fecisses. Ecce adhuc tu vivis, et tantas nobis minas prætendunt ; te defuncto, quis nos de eorum queat liberare manibus ?* Hæc et his similia multa coram eo lacrymabiliter affati sunt. At ille his auditis non facile credidit; sed prius, ut suæ gravitati condecebat, utrum verum an falsum esset quod audierat, sagaciter requisivit.

qui inde nimis superbus factus,

48. Cum autem comperisset verum esse quod

orante sancto

Num. 47. — [1] *ed.* minans. — [2] *cod.* (*pro* ac dicere) addicere. — [3] *cod.* cum furore.

episcopo præmatura morte abripitur.

audierat, lacrymatus est, statimque se in sellulam levari et ad basilicam sanctissimæ virginis Eulaliæ, cui semper devota mente servierat, deferri præcepit. Cumque ibidem sanctissimus senex pervenisset, coram altari sacro manus expandens, simulque venerabiles oculos cum lacrymis ad cœlum adtollens, cum magno gemitu sese in terram prostravit, et preces suas diu multumque in conspectu Domini fudit. Completa vero oratione, clara voce cunctis audientibus ait : *Gratias tibi refero, Domine, quoniam exaudisti me. Benedictus tu in secula seculorum, quia non amovisti deprecationem meam et misericordiam tuam a me.* Et his dictis ad episcopium rediit, ita nimirum redditus pristino robori ut putares hunc non ægrum, non senem, sed redivivum sumpsisse vigorem, juvenemque esse robustissimum. Qui cum ex more ad vespertinum officium vellet procedere, mirum in modum gaudentibus cunctis, archidiaconus hæc audiens, reatu suo oppressus, obstupuit, quod audiebat ad vesperam processurum quem putaverat eodem die moriturum. Confusione igitur et pudore faciei opertus, secundum consuetudinem cum omni clero voluit noluit coram episcopo astitit, eique incensum ex more obtulit. Cui vir Domini ait : *Præcedes* [1] *me, sic mihi anima tua vivat.* Quod ille audiens, non intellexit plenius, sed ceteros diacones percontatus est quidnam esset quod sanctus episcopus dixisset : *Præcedes me.* Illi vero ignorantes causam, responderunt : *Non pro alio tibi dictum est, nisi quia eum præcedes ad ecclesiam.* Cumque vespertinum cœpisset implere offi-

Num. 48. — [1] *cod. hic et inferius* præcedis.

cium, statim supradictus archidiaconus gravissimo dolore ibidem in choro psallentium percussus, ad domum suam cum gravi ægritudine remeavit. Quod dum genitrix ejus, sanctissima scilicet femina, agnovisset, illico ad venerabilem virum cursu rapidissimo properavit, eumque deprecari cum lacrymis et fletu magno cœpit, ut pro filio ejus oraret ad Dominum. Ad hæc ille hoc tantum respondit: *Quod oravi, oravi.* Exhinc die tertia archidiaconus obiit. Sanctus vero Masona episcopus plurimis, quibus superstes [2] fuit diebus, multam eleemosynam egenis impertivit, ac fidelibus famulis majora gratiæ suæ beneficia conferens, largiora stipendia munerum tribuere est dignatus. Dein senex et nimium ætate decrepitus dierumque multorum, ultimum inter verba orationis cum pace efflavit spiritum.

CAPUT XXI.

Post Masonam Innocentius diaconus fit episcopus Emeritensis, et post illum Renovatus, uterque clarus miraculis.

S. Masonæ *succedit* Innocentius,

Post hunc denique electus est sanctus vir summæ sanctitatis ac simplicitatis, nomine Innocentius, cujus meritum nominis indicabit vocabulum. Innocens utique et simplex, neminem judicans, neminem condemnans, nemini nocens, innocuus semper et pius cunctis vitæ suæ temporibus extitit. Qui eodem tempore quo ordinatus est, ut fertur, in ordine diaconorum ultimus habe-

[2] *cod.* supprestis.

batur. Tantæ denique sanctitatis et compunctionis fuisse perhibetur ut quotiens pluvia deerat et æstu nimio terram longa siccitas exurebat, collecti in unum cives urbis illius cum eodem per basilicas sanctorum, precibus Dominum exorantes, pergebant. Repente vero, quotienscumque eum præcedebant, pluvia cælitus largiflua tribuebatur, quæ plenissime terram satiare potuisset. Unde non dubium erat quod ejus lacrymæ, ex tam humili simplicique mente editæ, apud omnipotentem Deum non solum hæc, verum etiam potiora his obtinere potuissent *a*.

a et huic Renovatus.

50. Quo etiam defuncto, sacerdotii culmen sanctus Renovatus cunctis virtutibus decoratus non immerito promeruit : vir denique natione Gothus, generoso stemmate procreatus, familiæ splendore conspicuus. Erat enim procerus corpore, forma perspicuus, statura decorus, obtutu gratus, venusto vultu, decora facie, nimiumque admirabilis aspectu. Sed quamvis extrorsus habitus sui esset gloria decoratus, introrsus pulchrior habebatur lumine sancti Spiritus illustratus. Multis nimirum artium disciplinis existebat eruditus, multisque virtutum variis generibus adornatus. Erat enim egregius in omnibus operibus suis, æquissimus, justissimus, nimiumque acris ingenii et in omnibus disciplinis ecclesiasticis vehementer instructus atque in divinis voluminibus perquam exercitatus. Hic dum multis virtutibus coruscaret, sacra doctrina nonnullos discipulos erudiens, sanctissimoque exemplo vitæ suæ instituens, prudentia videlicet, sanctitate, patientia, mansuetudine, misericordia, plurimos tales qualis ipse

exstitit limen [1] justitiæ sanctique dogmatis prædicatione effecit : cujus doctrina hactenus rutilat ac refulget ecclesia ut sol et luna. Dein cum plurimos annos irreprehensibiliter rexisset ecclesiam, angelicis cœtibus copulaturus [2] omnibusque cælestibus supernarum partium legionibus conjuncturus [3], mirabiliter artubus resolutis e corpore egrediens, superni aulam regni cum Christo semper mansurus et sine fine regnaturus introire meruit.

Sancti episcopi, de quibus dictum est, in ecclesia S. Eulaliæ quiescunt.

51. Horum igitur supradictorum sanctorum corpora in una eademque cellula haud procul ab altario sanctissimæ virginis Eulaliæ honorifice tumulata quiescunt. Ad quorum denique veneranda sepulcra tantam Christus quotidie copiosæ pietatis confert gratiam, ut quacumque fuerit quispiam ægritudine convexatus, quocumque etiam fuerit languore afflictus, statim ut divinum numen illic toto corde depoposcerit [1], omnes a se morbos discussos omnesque maculas pulsas divinitus sentiens, sanus hilarisque ad cupitam per Dei gratiam pervenit sanitatem *b*.

b

Libellus iste ad ædificationem fidelium scriptus.

52. Quantitatem scilicet miraculorum obitumque simul impolitus ut potuit sermo Christi militum enarravit; qui quamlibet squalore nimio peritus imperite [1] displiceat, omissa pompa verborum humiliter sentientes credentesque nobilitat, et quoddam emolumentum bonæ mercedis legentibus audientibusque accumulat. Ego namque, humillimus omnium, a fastidiosis lectoribus

Num. 50. — [1] *ita cod., ed.* lima. — [2] *cod.* compulaturus, *ed.* copulandus. — [3] *ed.* conjungendus.

Num. 51. — [1] *cod.* deposcerit.

Num. 52. — [1] *ed.* peritis imperitus.

precor ut legant prius hujus codicis opuscula, et postea despiciant, ne videantur non ex judicio sed ex odio præsumere, et ignorata damnare. Illud tamen manifestissime cognoscant, me amore Christi et dilectione sanctissimæ Eulaliæ impulsum [2] ut scriberem, manifesta retulisse, vera procul dubio veraciter exposuisse. Uni in Trinitate semperque Domino regnantique perenniter gloria, honor, fortitudo, gratiarum actio, virtus, potestas, laus et benedictio nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

EXPLICIUNT VITÆ SANCTORUM PATRUM EMERETENSIUM.

ANNOTATA.

a *Præter ea quæ refert noster de* Innocentio *unum nobis superest de eo documentum, subscriptio scilicet ipsius decreto Gundemari regis de primatu ecclesiæ Toletanæ anno 610, his verbis concepta :* Ego Innocentius Emeritensis provinciæ Lusitaniæ metropolitanus episcopus, dum in urbem Toletanam pro occursu regio advenissem, agnitis his constitutionibus assensum præbui atque subscripsi (1). *Ubi si admittas metropolitanos ordine antiquitatis subscripsisse (quod tamen in ea constitutione quoad episcopos servatum non fuisse notat Florezius)* (2), *inde collegimus supra* (3) *eum anno circiter 605 vel 606 ad episcopalem dignitatem fuisse evectum. Quamdiu autem Emeritensem sedem*

[2] *cod.* impulsus.

(1) Mansi, tom. X, p. 511.—(2) *Esp. Sagr.*, tom. VI, p. 159. (3) Comm. præv., num. 24.

tenuerit, nullo indicio nobis traditum est. Florezius quidem eum ad annum circiter 616 sedisse autumat (1), *eo quod* Renovatus *ejus successor apud Levitam nostrum dicitur* (2) plurimos annos *rexisse ecclesiam, porro certum est Stephanum,* Renovati *successorem, jam sedisse anno 633, quo anno, die 5 decembris, subscripsit concilio Toletano IV* (3): *unde denique concludit Florezius intervallum temporis quod intercedit inter annum 606, qui videtur fuisse ultimus vitæ* Masonæ, *et annum 633, qui forte fuit primus annus Stephani (contra quam opinionem allegare licet quod inter sex metropolitanos qui concilio Toletano IV subscripserunt, Stephanus tertio loco legitur), ita dividendum esse ut major pars attribuatur* Renovato. *Timeo tamen ut hujusmodi rationem loquendi* per plurimos annos *tam stricte apud anonymum nostrum accipere liceat: facile enim videtur augendi verbis abuti. Exempla afferri possunt, præter alia* (4), *opusculi nostri loci ubi a Sunna* innumerabilem multitudinem populi *de gremio catholicæ ecclesiæ separatam ait scriptor* (5), *cum* ingenti multitudine *Claudium ducem et cum* ingentibus catervis *populi Sunnam et complices ejus ingressos ad colloquium illud quod intra aliquod episcopalis palatii conclave habitum est* (6), infinitam multitudinem *Francorum ab arianis Narbonensibus fuisse advocatam* (7). *Ex quibus omnibus tandem nobis dicendum videtur totam illam chronotaxim, præter terminos annorum 610 et 633, admodum esse incertam.*

(1) *Esp. Sagr.*, tom. XIII, p. 208. — (2) Num. seq. — (3) Mansi, tom. X, p. 641. — (4) Cfr. Comm. præv., num. 10. — (5) Num. 38. — (6) Num. 39. — (7) Num. 44.

b *Extremo seculo XV reperta sunt in antiqua ecclesia S. Eulaliæ corpora quatuordecim, quæ censuerunt fuisse sanctorum qui olim in ea ecclesia honorabantur et tempore dominii Maurorum a fidelibus abscondita, et inter hæc* SS. Pauli, Fidelis, Masonæ, Innocentii *et* Renovati. *Quæ omnia cum veneratione in decentem locum translata sunt. Documenta huc spectantia ediderunt majores nostri ad diem 31 martii agentes de* S. Renovato (1). *Rursus ea hoc loco proferre supervacaneum visum est.*

(1) Tom. III Martii, p. 907-908.

INDEX.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. De cultu SS. Masonæ, Pauli, etc., et de editionibus libelli de eorum vitis. . . . . pag. 1
§ II. De scriptore libelli de vitis PP. Emeritensium . . . . . „ 8
§ III. Actorum S. Masonæ chronotaxis . . . . „ 15
§ IV. Num S. Masona Hermenegildi partibus adhærendo Leovigildi iram incurrerit . . . „ 25

DE VITIS ET MIRACULIS PATRUM EMERITENSIUM . . „ 31
Præfatio . . . . . „ 32
CAP. I. Augustus puer, minister ecclesiæ Sanctæ Eulaliæ Emeritensis, moriturus, per visionem ducitur ad tribunal gloriæ . . . . . „ 36
CAP. II. Monachus Caulinianensis apud Emeritam monasterii, morti vicinus, ex ebrio et fure ad Dominum convertitur. . . . . „ 43
CAP. III. Nunctus, abbas Africanus, Emeritam veniens, a sceleratis est occisus, qui mox a dæmone sunt correpti. . . . . „ 50
CAP. IV. Paulus medicus, natione græcus, fit episcopus Emeritensis, et mulierem ex partu laborantem sanat . . . . . „ 53
CAP. V. Fidelis, natione græcus, filius sororis Pauli episcopi Emeritensis, viventi avunculo subrogatur in episcopum. . . . . „ 59
CAP. VI. Fidelis, episcopus possessiones suas relinquit ecclesiæ Sanctæ Eulaliæ, clericos a ruinæ periculo liberat . . . . . „ 64
CAP. VII. Fidelis episcopus visus interesse sanctorum choris . . . . . „ 67
CAP. VIII. Fidelis episcopus, visione admonitus, bonis in pauperes distributis migrat ad Dominum . . . . . „ 70

Cap. IX. Masona, natione Gothus, nutritus in ecclesia Sanctæ Eulaliæ, succedit Fideli in episcopatu, xenodochium et monasteria ædificat . . . . . pag. 74
Cap. X. Leovigildus, rex Wisigothorum, arianus, studet avertere Masonam, episcopum Emeritensem, a fide catholica . . . . . „ 82
Cap. XI. Sunna, pseudoepiscopus Emeritensis arianus, disputatione publica victus a Masona . . . . . „ 83
Cap. XII. Masona, Toletum a rege vocatus, recusans rare tunicam sanctæ Eulaliæ, in exilium missus equum ferocem domat . . . . . „ 88
Cap. XIII. Nepopis pseudoepiscopus arianus Emeritæ substituitur; Masona vero in monasterio triennium exul miraculis claret . . . „ 94
Cap. XIV. Leovigildus rex, percussus a sancta Eulalia, Masonam restituit ecclesiæ Emeritensi . . . . . „ 97
Cap. XV. Fugiente Nepopi pseudoepiscopo, Masona res ecclesiæ recuperat. . . . . „ 99
Cap. XVI. Leovigildo regi in hæresi mortuo Reccaredus filius catholicus succedit. . . . . „ 101
Cap. XVII. Cum Sunnæ pseudoepiscopi fraude a Witerico comite Masona gladio peteretur, miraculo liberatur . . . . . „ 103
Cap. XVIII. Iterum Masona ab insidiis Sunnæ ope Claudii ducis Emeritensis liberatur. Sunna pertinax et exul obit in Mauritania. Vacrila socius criminis fit mancipium ecclesiæ. . . „ 107
Cap. XIX. Narbonensis tumultus arianorum, ab episcopo Athaloco excitatus, compressus est opera Reccaredi regis . . . . . „ 112
Cap. XX. Masona valde senex factis eleemosynis moritur, Eleutherio archidiacono ex prædictione viri sancti præmortuo . . . . . „ 114
Cap. XXI. Post Masonam Innocentius diaconus fit episcopus Emeritensis, et post Renovatus, uterque clarus miraculis . . . . . „ 117

Bruxellis. — Typis Polleunis, Ceuterick & Lefébure.

50692